

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Natvra Deorvm Ad M Ivnivm Brvtvm Librvm II.
Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS

DE NATVRA DEORVM

AD M. IVNIVM. BRVTVM

LIBRVM. II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Balbus ex Stoicorum disciplina differit deos esse, mundumq. ab ijs regi, & humanam gentem praecipue curari ac diligi: interim de Astronomia deq. planetarum motibus, & effectibus luculente tractans, demq. de animantium complurium natura, & de fabrica partium corporis humani. Horum autem omnium cognitio, ut summe necessaria, ita & gratissima esse debet omnibus studiosis.

CICERO



VAE cum Cotta dixisset, tum Velleius, Naee ego, inquit, incautus, qui cum Academicis, & eodem rhetore congregi conatus sum. nam neque in desertum Academicum pertinuissim, nec sine ista philosophia rhetorem quamvis eloquentem. neq. enim flumine conturbor inanium uerborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. tu autem, Cotta, utraque re ualuisisti: corona tibi, & iudices defuerunt. sed ad ista alias: nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. Tum Balbus, Eundem equidem, inquit, malle audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem ueros inducat. est enim & philosophi, & pontificis, & Cottae, de dijs immortalibus habere non errantem, & uagam, ut Academicis, sed, ut nostris, stabilem, certamq. sententiam. nam contra Epicurum satis superq. dictum est. sed aueo audire, tu ipse Cotta quid sentias. An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus praesertim de rebus, quid non sentirem, quam quid sentirem, posse dicere: quod si haberem aliquid, quod liqueret; tamen

te audire uicissim uellem, cum ipse tam multa dixisset. Tum Balbus, Geram tibi morem, & agam quam breuissime potero. etenim, conuictis Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino diuidunt nostri totam istam de dijs immortalibus quaestionem in partes quattuor. primum, docent esse deos: deinde, quales sint: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone, quae priora duo sunt, sumamus: tertium, & quartum, quia maiora sunt, puo in aliud esse tempus differenda. Minime uero, inquit Cotta, nam & otiosi sumus; & ijs de rebus agimus, quae sunt etiam negotijs anteponendae. Tum Lucilius, Ne egere quidem uidetur, inquit, oratione prima pars. quid enim potest esse tam apertum, tamq. perspicuum, cum caelum suspeximus, caelestiaq. contemplati sumus, quam esse aliquod numen praesstantissimae mentis, quo haec regantur? quod ni ita esset; qui potuisset assensu omnium dicere Ennius, Adspice hoc sublime candens, quem uocant omnes Iouem. illum uero et Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, & ut idem Ennius, -patrem diuumq. hominumq. & praesentem, ac praepotentem deum. quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus

lus sit, dubitare possit. quid enim est hoc illo evidentius? quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusque hominum inueterare potuisset. etenim uidemus ceteras opiniones fictas, atque uanas diuturnitate extabuisse. quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimerae putat? quae uel anus tam excors inueniri potest, quae illa, quae quondam credebantur, apud inferos portenta extimescat? opinio enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. itaque et in nostro populo, & in ceteris deorum cultus, religionumque sanctitates existunt in dies maiores, atque meliores: idque euenit non temere, nec ca-

su, sed quod & praesentiam saepe diu suam declarant: ut & apud Regillum bello Latino, cum A. Postumum dictator cum Octauio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor & Pollux ex equis pugnare uisi sunt: et recentiore memoria, idem Tyndaridae Persen uictum nunciauerunt. P. enim Valerius, auus huius adolescentis, cum e praefectura Reatina Romam uenienti noctu duo iuuenes cum equis abbas dixissent, regem Persen illo die captum, senatui nunciauit: et primo, quasi temere de rep. locutus esset, in carcerem coniectus est; post, a Paulo litteris allatis, cum idem dies constitisset, & agro a senatu, & uacatione donatus est.

EXPLANATIO



QVAE cum Cotta dixisset, & Continuatio libri praesentis & superioris continens commendationem orationis a Cotta habitae. **INCAVTVS** & improuidus. **ACADEMICO**, & ex consequenti ambiguo omnia in dubium reuocantem. **RHETORE** & eloquentiae formulis instructo. **CONGREDI** & disputare. **INDISERTVM** & eloquentiae expertem. **ISTA** & Academica, lubrica. **NEQVE enim flumine** & Flumen inanum uerborum nihil mouet, sed oportet cum bonitate sententiarum orationis ubertatem coniungere. **FLVMINE** & abundanti copia, Metaphora. **CONTRBOR** & non commoueor, aut terror. **INANIVM** & sine sententia. **SICCITAS**, & ariditas quaedam. Sententiae, inquit, sine decenti ornatu me non mouent. **CORONA** & coetus auditorum, circumstantis populus, ut fiebat in causis iudicialibus. **COMMODYM** & opportunum. **TVM Balbus Eundem** & Modesta concertatio *περι προτολογίας*, id est, de primis partibus agendi. **EST enim & philosophi** & Decet philosophum ueritatis indagatorem. Argumentum a conditione personae. **ET pontificis** & qui summe curare debet, ne ualidissima reip. fundamenta labefactentur. **ET Cotta** & philosophi, pontificis, & praeterea ciuis grauis, qui de deo bene sentire, ac loqui debet. **ERRANTEM**, & fluctuantem. **VAGAM**, & incertam. **NOSTRI** & Stoici. **AUEO** & desidero, exopto. **TALIBVS de rebus** & de natura deorum. **QVID non sentirem** & quod mihi uideretur falsum. **LIQUERET**, & elarum esset. **VICISSIM** & ex altera parte. **GERAM tibi morem**, & obsequar studio tuo. **Balbi docilitas**. **AGAM** & tractabo. **OMNINO** & popolitio quadripartita. **QVAESTIONEM** & disputationem. **DOCENT esse deos** & probant esse diuinam naturam. **QVALES sint** & deorum naturales proprietates. **ADMINISTRARI** & gubernari. **CONSULERE** & prouidere, curam habere. **DVO, quae priora sunt** & hoc est essentiam, & qualitates. **MAIORA** & difficiliora ad probandum. **IN aliud tempus** & disputationi magis commodum. **NAM & otiosi sumus** & nimirum a defensionum laboribus, senatorijsque muneribus. Feriis Latinis haec acta sunt, & otium erat, atque uacatio a publicis muneribus. alludere tamen uidetur Cicero ad Caesarem, qui negotia ciuium, & imperii in se innum transcripserat. **AGIMVS**, & disputamus. **TVM Lucilius**, & Prima pars quaestionis habens perspicuam alleuerationem, quod sit deus, cuius prima demonstratio sumitur a caeli contemplatione, quod est speculum illustre, & euidentis naturae dei aeternae & omnipotentis. **ALIQVOD numen praestantissimae mentis**, & Numen, quasi natus mentis uidetur dici. Natus uero propriae est signum, quod motione capitis fit ad aliquod affirmandum, aut negandum. Erit igitur numen praestantissimae mentis, diuina uis, quae dum arbitrio, siue uoluntate sua moderatur omnia, moderatione ipsa tanquam certissimo nutu ostendit, siue notionem affert se omnibus moderatis rebus praestare. **QVI** & quo modo. **ASSENSV** & comprobatione. **ADSPICE hoc** & subaudi, numen. **SUBLIME candens** & Caelum candore fulgens lucidum, purum: ueluti sunt res candidae. Senarius est integer, nam duae uoces, Adspice hoc, pertinent ad praecedentem uersum. **QVEM Iouem** & Relatiuum iungitur sequenti nomini, ut Sallustianum illud: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. **NUTV** & arbitrio. **PRESENTEM** & propitium, beneficium, & statim fauens. **PRAEPOTENTEM** & maximatum uirtutum. **AN nullus sit**, & an non sit. **QVID enim est hoc illo euentius?** & nulla est, inquit, causa, cur esse solem sit res euentior, quam esse numen praestantissimae mentis, quo mundana omnia regantur. **NON tam stabilis** & Secunda demonstratio, quod deus sit, sumpta a communi consensu, & inueterato. **INUTERARE** & perseverare. **EXTABUISSE** & corruptus esse. **EXCORS** & incia. **PORTENTA** & monstra. **OPINIIVM** & Opiniorum commenta dies delet, sed ueritatem tempus confirmat. **COMMENTA** & fictiones. **DIES**, & tempus. **NATURAE iudicia** & quae natura homini suggerit. **CULTVS** & ueneratio. **SANCTITATES** & caerimoniae. **SED quod & praesentiam** & Tertia demonstratio, quod deus sit, sumpta a praesentia dei multis rebus declarata. **APVD Regillum** & subaudi lacum, hic est uia Praenestina, & nunc uulgo dicitur Palus Griphi. **NOSTRA acie** & Romano exercitu. **RECENTIORE memoria**, & uiciniore tempore. **QVASI temere** & inconsulte. **A Paulo** & consule, uidelicet Paulo Aemilio, qui Persen cepit. **CVM idem dies constitisset**, & Eodem die, quem Valerius dixisset, factum id esse, liqueret. **VACATIONE** & immunitate, ne aliquod onus pro rep. subiret. Vide Val. Max. in l. Exemplo rum.

CICERO

ATOVE etiam, cum ad fluvium Sacram Crotoniatas Locri maximo proelio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiae, memoriae proditum est. saepe Faunorum voces exaudita, saepe uisae formae deorum, quemvis aut non hebetem, aut impium, deos praesentes esse, confiteri coegerunt. praedictiones vero, & praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsam, Tiresiam, Amphiarum, Calchanem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae adsciuisent, si res omnino repudiarent: ne domesticis quidem exemplis docti, numen deorum comprobabimus? nihil nos P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit? qui etiam per iocum deos irridens, cum caena liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nolent. qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo R. cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello non ne tempestate classem amisit, cum auspicijs non paruisset? itaque P. Claudius a populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse conscivit. C. Flaminius Coelius, religione neglecta, cecidisse apud Trasimenum scribit, cum magno reip. uulnere. quorum exitio intelligi potest, eorum imperijs remp. amplificata, qui religionibus paruisset. & si conferre uolumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperimus religione, id est cultu deorum multo superiores. An Attyj Nauij lituus ille, quo ad investigandum suam regiones uineae terminauit, contemnendus est? crederem, nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. sed, negligentia nobilitatis,

auguriorum disciplina omissa, ueritas auspiciorum sprete est, species tantum retenta. itaque maximae reip. partes, in his bella, quibus reip. salus continetur, nullis auspicijs administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus, nulli uiri uocantur: ex quo in procinctu testamta perierunt. tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, cum auspicia posuerunt. at uero apud maiores tanta religionis uis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos dijs immortalibus, capite uelato, uerbis certis pro rep. deuouerent. multa ex Sibyllinis uaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmantur, quae dubia nemini debent esse. at qui & nostrorum augurum, & Etruscorum, & haruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo cos. res ipsa probauit. quos cum Ti. Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus, cum comitia nihilo minus peregisset, remq. illam in religionem populo uenisse sentiret, ad senatum retulit. senatus, quos ad soleret, referendum censuit. haruspices introducti, responderunt, non fuisse iustum comitiorum rogatorem. tum Gracchus, ut e patre audiebam, in census ira, Ita ne uero? ego non iustus, qui & consul rogauit, & augur, & auspicato? an uos Tusci, ac barbari auspiciorum populi R. ius tenetis, & interpretes esse comitiorum potestis? itaque tu illos exire iussit. post autem e prouincia litteras ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse uitio sibi tabernaculum captu fuisse haruspitionis, quod, cum pomerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, cum idem pomerium transiret, auspicari esse oblitus: itaque uitio creatos esse consules. augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent: consules abdicauerunt.

EXPLANATIO

SAGRA & fluius est Lucaniae, in cuius ripa, ut auctor est Strabo, Castoris, & Pollucis arae sitae sunt: ad quas decem Locorum millia una cum Rheginis, aduersus Crotoniatas, numero centum, & triginta millia, Marte collato, uictores fuerunt. **OLYMPIA** & locus, & regio Peloponnesi, ubi fuit olim Olympiorum celebritas. **FAVORVM** & Fauni rustice sunt numina. **HEBETEM** & obtusi ingenij. **IMPIVM** & praeue de deo sentientem. **PRaesentes** & fautores. **PORTENDI**, & significari. **MOPSUM, Tiresiam, &c.** & Omnes hi augures fuerunt: Mopsus Argiuorum Rex, Tiresias Thebanus, Chalcas Graecus, Helenus Troianus, Priami regis filius. **ADSCIUISSENT**, & recepissent, & nominassent augures. **SI res omnino repudiarent**, & si uere existissent augures. **DOMESTICIS exemplis** & ex Romana historia de poena contemptae religionis, & auspiciorum, ad uim, & praesentiam dei testificandam. **MOVEBIT** & hoc est, coget credere. **PULLI** & galli gallinacei. **ESSE nolent**, & nolent comedere. **QUI risus** & iocus in contemptum auspiciorum. **COLLEGA** & socius in consulatu. **CONSCIVIT** & intulit. **COELIVS** & Antipater, ciuis Romanus, qui Annales scripsit. **QUORVM exitio** & morte calamitosa. **CONFERRE** & comparare. **EXTERNIS**, & alienigenis. **LITVVS** & Cicero in I. de Diuin. Clarissimum est, inquit, inigne anguratus. id est curuum, & a summo inflexum bacillum. **INVESTIGANDAM suam** & requirendam suam a puero amissam. **TERMINAVIT** & mensus est ad certum spatium. **NEGLIGENTIA nobilitatis** & non enim curabant Romani addiscere, sed potius contemnebant auguriorum disciplinam, in qua cum excellent Etrusci, senatus, ut alibi inquit Cicero, decreuit ut de principum filijs, sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. **NULLIS auspicijs** & nullo captato auspicio. **NULLA perennia**, & ita dicebantur auguria, quae consul, aut praetor annem transmissurus captabat. Cicero in II. de Diuin. Itaque nec amnes transeunt auspicio, nec tripudio anticipantur. nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, &c. **NULLI uiri uocantur** & nimirum ad consultandum. nam ut in I. de Diuin. inquit Cicero, augures singulis quibusq. nonis conuenire solebant. Vocabantur etiam augures a magistratibus, cum noui aliquid accidisset, ut ex illorum consilio, & sententia id agerent, quod e rep. uideretur. **IN procinctu** & in expeditione ad pugnam.

E

pugnam.

pugnam. At uero apud ξ Opponit maiorum religionem sui saeculi negligentiae. *ETRUSCORVM*, & *haruspicum* ξ Lego, Etruscorum haruspicum. de Diuinatione lib. I. *PROBAUIT* ξ commendauit, confirmauit. *P. SCIPIONE*, ξ Exemplum Gracchi, qui errorem suum tandem confessus est, quod uidelicet neglectis auspicijs consules creasset. *CONSULITERUM* ξ in secundo consulatu. *CREARET* ξ designaret. *PRIMVS ROGATORVM*, ξ hoc est, ille, qui in electione consulum primus rogabatur sententiam. *VT EOS RECULIE* ξ ut eos nominauit consules designandos. *COMITIA PEREGISSET* ξ in comitijs prosequeretur ad designationem nouorum consulum. *REM ILLAM* ξ casum primi rogatoris. *IN RELIGIONEM* ξ in metum uiolatae religionis. *RETULIT*, ξ posuit in consultationem senatus, ut censeret quid agendum foret. *QVOS ADSOLERET* ξ nimirum ad augures, & haruspices, more maiorum. *IUSTVM* ξ legitimum. *AVSPICATO* ξ captatis auspicijs. *BARBARI* ξ moribus inhumanis, feris. *IVS* ξ legitimum ritum. *INTERPRETES* ξ enarratores. *COMITIORVM* ξ conuentuum. *EPROVINCIA* ξ Sardinia. ita enim Cicero libro Epistolarum tertio ad Atticum scribit: Habet profecto quoddam Sardinia appositum ad recordationem praeteritae memoriae. nam, ut ille Gracchus augur, posteaquam in istam prouinciam uenit, recordatus est, quid sibi in campo Martio accidisset. *AD COLLEGIUM* ξ ad augurum coetum. *LIBROS* ξ augurales. *VITIO SIBI TABERNACULUM CAPTUM FUISSE HARUSPECTIONIS*, ξ Haruspictionis tabernaculum uocat, quod auspicandi causa cooperat Gracchus. Foeda autem macula locus hic in omnibus antea impressis libris deformatus fuerat: cum imperiti homines ex antiqua uoce, Haruspictionis fecissent. In hortos Scipionis. quibus ex uerbis cum idonea sententia nulla elici posset, cumq; neque Cicero ipse in libris de diuinatione, ubi bis hanc historiam narrat, neque ceteri, qui eandem litteris prodiderunt, ullam Scipionis hortorum mentionem faciant: subesse mendum, facile equidem intelligebam; neque tamen prius manus admonere ausus sum, quam in uetustis libris hoc, quod nunc repofui, perspicue scriptum animaduerti. Tueamur igitur antiquitatem, licet obscura rerum cognitio sit, ne, dum blandimur incertitiae nostrae, longius a ueritate discedamus. Plutarchi quidem locus, in uita Marcelli, cum nonnullis uideatur Scipionis hortos potius, quam Haruspictionem significare, causam non uideo: ego sequor, ut dixi, ueteres libros: & antiqua uerba, licet rara, nec ad intelligendum aperta, libenter tamen conseruo. Quamquam hic quidem Haruspicio quid significet, satis constat. Neque mutare dicitur, qui libros impressos ad antiquorum exemplum corrigi, sed qui dilcedit ab antiquis. Itaque non ego, ut quidam dixit, huius correctionis auctor, sed restitutor, nihil enim ex ingenio repofui. Contra uero temere fecerunt, qui coniecturam secuti, legere maluerunt, in hortos Scipionis: aut, cur id fecerint, testes antiquos libros, uel historiam aliquam proferant. Haec Paullus pater. *VITIO SIBI CAPTUM FUISSE*: perperam se elegisse, non seruato auspirandi ritu. *POMERIUM* ξ locus est intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, penes muros, regionibus certis determinatus, qui facit sine urbani auspicij. Ita pomerium definiuerunt augures pop. Rom. qui libros de Auspicijs scripserunt. Vide Gellium. *HABENDI SENATUS* ξ conuocandi ad consultationem. *AVSPICARI* ξ auspicia captare. *VITIO* ξ perperam, & non rite. *AD SENATUM* ξ subaudi, retulerunt. *SENATVS*, ξ subaudi, iussit. *VT ABDICARENT* ξ renunciarent consulatui. Figulus (auctore Valerio max.) e Gallia, Scipio e Corsica redierunt Romam, & se consula tu abdicauerunt.

C I C E R O

QVAE quaerimus exempla maiora uir sapientissimus, atque haud scio, an omnium praestantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam haerere in rep. religionem: consules summum imperium statim deponere, quam id tenere punctum temporis contra religionem. Magna augurum auctoritas: quid haruspicum ars, non ne diuinae haec innumerabilia ex eodem genere qui uideat, non ne cogatur confiteri, deos esse? quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est. deorum autem interpretes sunt: deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eueniunt, quae praedicta sunt. ne aegri quidem quia non omnes conualescunt, ideo ars nulla medicina est. signa ostenduntur a dijs rerum futurarum. in his si qui errauerunt; non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit. itaque inter omnes omnium gentium sententia constat: omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum, esse deos. quales sint, uarium est: esse nemo negat. Cleanthes quidem noster quattuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. primam posuit eam, de qua modo dixi; quae orta esset ex praesensione rerum futurarum: alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur cae-

li temperatione, secunditate terrarum, aliarumq; commoditatum complurium copia: tertiam, quae terret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, niuibus, uastitate, pestilentia, terrae motibus, & saepe fremitibus, lapideisq; imbribus, & guttis imbrum quasi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatusibus, tum praeter naturam hominum, peccantiumq; portentis, tum facibus uisis caelestibus, tum stellis uis, quas Graeci cometas, nostri crinitas uocant: quae nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae; tum sole geminato, quod, ut e patre audiui, Tuditano, & Aquillio cos. euenerat: quo quidem anno P. Africanus, sol alter, exsistens est: quibus exterriti homines uim quandam esse caelestem, & diuinam suspicati sunt: quartam causam esse, caelestemq; uel maximam, aequabilitatem motus, conuersionem caeli, solis, lunae, siderumq; omnium directionem, uarietatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum adspicere ipse satis indicaret, non esse fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum uenerit; cum uideat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare; sed esse aliquem intelligat, qui praesit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisq; uicissitudinibus

situdinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa, & infinita uetustas mentita sit; Statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

EXPLANATIO

PECCATVM ꝛ erratum, quod nullus animaduertat praeter ipsum Gracchum. CELARI ꝛ dissimulari. HAERERE in rep. religionem ꝛ id labem, seu scrupulum conscientiae perpeti. AVCTORITAS: ꝛ dignitas. Ex eodem genere ꝛ diuinationis, & praefagationis. AT fortasse ꝛ Tacitae obiectioni occurrens Balbus, docet exemplo medicinae, omnium earum artium, quae coniectura continentur, eandem esse uim, & naturam, ut esse non desinant artes, etiamsi aliquando fallantur. QVORVM enim interpretes ꝛ Argumentum ex correlatis. AT fortasse ꝛ Occupatio de dubio praedictionum euentu, qui belle a deo in hominum coniecturam reijcitur. DEORVM natura ꝛ deorum naturali qualitate. CONIECTURA ꝛ ratiocinatione. CONSTAT: ꝛ conuenit. INSCVLPTVM, ꝛ impressum. QVALES sint, ꝛ qualis naturae sint. VARIVM est: ꝛ supple, iudicium. Varias, inquit, sunt hominum sententiae. DE ꝛ ex. INFORMATAꝛ impressas. CLEANTHES quidem ꝛ Quattuor argumenta Cleanthis, quibus deum esse probat. Ex effectibus eius, siue rebus creatis ducta. Manant enim ex hoc immoto principio: posito effectu necesse est causam propriam esse, uel fuisse. Praesensio est effectus dei, ergo deum esse coarguit. Secundum, beneficia dei quotidie percipimus, Igitur deum esse necesse est. Tertium, Fulmina & alia signa, potentiam, & iram dati praenunciant, Igitur deum esse necesse est. Quartum, Ab ordine perpetuoq. motu corporum caelestium, quae sine omni dubitatione dei opus est. PRAESENSIO ꝛ praenotione. TEMPERATIONE, ꝛ modificatione caloris, & frigoris. VASTITATE ꝛ desolatione regionum, corruptio ne frugum. PESTILENTIA ꝛ contagioso morbo, quem Graeci Epidemiam uocant. FREMITIBVS ꝛ stridoribus terrae. HIATIBVS ꝛ scissuris. PORTENTIS ꝛ natis. QVAE nuper bello Octauiano ꝛ quod fuit inter Octauium consulum, & Cinnam. Vide Appianum lib. I. bellorum ciuilium Plinius agens de cometis, dicit, terrificum magna ex parte sidus, atq. non leuiter perit, ut ciuili motu Octauio cosule. AEQVABILITATEM ꝛ unifornitatem. DISTINCTIONEM, ueritatem, pulchritudinem, ordinem: ꝛ Ex ijs, quae sequuntur, manifestum est, Varietatem, potius hic esse legendum, quam, ut antea, Utilitatem, Vt illa ratio omittatur, quod de utilitate, qua homines adducti deos agnoscunt, non in quarta caussa, sed in secunda mentionem facit. quam lectionem, ut meliorem, in nostris libris secutus sum. Haec Paullus pater. DISTINCTIONEM, ꝛ collocationem, & separationem. FORTVITA ꝛ casu effecta, ut Epicurei opinabantur. VT siquis ꝛ Simile. GYMNASIUM ꝛ locum, in quo adolentes aliqua arte exercentur, & disciplina. RATIONEM ꝛ progressum. MODVM, ꝛ dispositionem. DISCIPLINAM ꝛ normam, legem. SINE CAUSSA ꝛ sine primo agente. STATVAT ꝛ pro certo, ac firmo iudicet. ALIQUA MENTE ꝛ aliqua prouidente intelligentia.

CICERO

CHRYSIPPVS quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse uideatur. Si enim, inquit, aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod uis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. at qui res caelestes, omnesq. eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. id autem quid potius dixerim, quam deum? etenim, si dy non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se, putet, desipientis arrogantiae est. ergo est aliquid melius: est igitur profecto deus. An uero, si domum magnam, pulchramq. uideris, non possis adduci, ut, etiam si dominum non uideas, muribus illam, & mustelis aedificatam putes: tantum uero ornatum mundi, tantam uarietatem, pulchritudinemq. rerum caelestium, tantam uim, & magnitudinem maris, atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, non ne plane desipere uideare? An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimum circumfundat aer, ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus, atque urbibus contingere uidemus, hebetiora ut sint hominum ingenia pro

pter caeli plenioram naturam, hoc idem generi humano euenerit, quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi, collocati sint. & tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & diuinam, existimare debemus. unde enim hac homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin & humorem, & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam uiscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habemus; apparet, quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aere eo, quem spiritu ducimus. Illud autem, quod uincit haec omnia, rationem dico, & si placet pluribus uerbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi inuenimus? unde sustulimus? an cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius: nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. & si ratione, & sapientia nihil est melius; necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus. Quid uero tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio? quem non coget ea, quae a me dicuntur, comprobare? posset ne uno tempore florere, deinde uicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutatibus, solis accessus, discessusq. solstitijs, brumisq. cognoscere aut aestus ma

ritimi, fretorumq; angustiae ortu, aut obitu lunae commoueri? aut una totius caeli conuersione cursus astrorum dispares conuerfari? haec ita fieri omnibus

inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno diuino, & continuato spiritu conuerterentur.

E X P L A N A T I O .

CHRYSIPIVS? Argumentum Chryssippi ex collatione effectorum: cuius opera excellunt melior est, Dei opera excellunt opera hominis, igitur Deus est melior, aut superior homine. **ACERRIMO**? acutissimo, & perspicacissimo. **SI ENIM**? haec est Chryssippi ratio probantis esse deum. **MENS**,? intelligentia. **RATIO**,? discursus, & inuestigatio. **VIS**,? robur, & efficacia. **POTESTAS**? possibilitas. **ATQVI**? certe. **QVID POTIUS DIXERIM**,? quasi dicat eiusmodi causa effectrix non meretur nomen nisi diuinum. **ET ENIM, si dii**? Ratio collationis. **ARROGANTIAE**? superbiae, quae sibi temere assumit principatum. **AN VERO SI**? Aliud simile ad agnoscendum naturae dominum. **MVSTELIS**? longioribus maribus, qui uulgo Donnole appellatur. **Domos inhabitant**, ut mures, quas tamen acerrime persequuntur, atque interimunt. His recte comparantur homines, qui similiter inhabitant mundum ab ipsis non conditum & se inuicem persequuntur. **PLANE DESPERE**? omnino delirare. **AN NE**? Comparatio superiorum, & inferiorum, quae huc spectat, ut originem mentis humanae ex deo esse confirmet, eiusq; essentiam probet. **SYPERA**? sublimia. **CRASSISSIMVS**? densissimus. **OB EAM IPSAM CAUSAM**? propter aeris crassitatem. **HEBETIORA**? crassiora, obtusiora, pigriora. **PLENIORVM**? densiorum. **SOLLERTIA**? acumine ingenij. **ACRIORVM**,? acutiorem, fortiorem subtiliorem. **VNDE ENIM HANC HOMO ARRIPUIT?**? quasi dicat, ab illa diuina haec accepta est, ut apud Xenophontem in commentarijs asserit Socrates. **TERRENAM VISCERUM SOLIDITATEM**? duritiæ carnis, neruorum, cartilaginis, & ossium, quae proficiscitur a natura terrea. **ANIMVM DENIQUE ILLVM SPIRABILEM**? Videtur legendum, Spiritabilem, si Seruij auctoritatem sequimur: qui, cum interpretaretur illud Virgilij lib. III. Aeneid.

atque hoc caeli spirabile lumen:

subiunxit haec: Vitale, quod spiramus. Cicero uero, in lib. de Nat. Deorum: Spirituale lumen. Eodemq; modo infra legendum; Animabili, spirabiliq; natura. **SPIRITVM DUCIMVS**? halitu attrahimus: uidelicet ad refrigerandum cor uitali calore incensum. nam sine aere nec spirare possumus, nec uiuere. **VNDE SUSTULIMVS?**? quasi dicat, a mundo sustulimus, a quo etiam cetera. **AN CETERA MUNDVS**? ex consequenti probat mundum habere rationem undiq; perfectam. **QVOD PLURIMI EST**? quod excellentissimum est. **ATQVI**? certe. **MELIVS EST**? Mens seu ratio est caelestis & diuina, ideoq; dei munus, non mundi, nec facienda confusio dei opificis, & mundi opificij. **QVID VERO**? consentiens rerum in natura cognatio euincit, Deum unum esse. **CONSENTIENS**? concors. **CONSPIRANS**? conueniens. **CONTINVATA**? perseverans. **COGNATIO**? naturalis communicatio. **HORRERE**? squalescere, ob hiemalem glaciem. **Solstitijs accessibus ad caeli uertices**. **Solstitia sunt in Capricorno, & Cancro**. **BRVMIS**? hiemalibus discessibus ab imo ad summum per obliquitatem signiferi. **AESTVS MARITIMI**? accessus & recessus maris. qui aestum siue feruorem quandam imitari uidentur. **ANGVSTIAS**? compressiones. **OBITV**? occasu. **DISPARES**? dissimiles.

C I C E R O

ATQVE haec cum uberius disputantur, & fusius, ut mihi est in animo facere, facilius effugiunt Academicorum calumniam: cum autem, ut Zeno solebat, breuius, angustiusq; concluduntur, tum aperta sunt ad reprehendendum. nam, ut profluens amnis aut uix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur: sic orationis flumine reprehensoris uitia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur. haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat. Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur. similiter effici potest, sapientem esse mundum; similiter, beatum; similiter, aeternum. omnia enim haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia. nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. Idemq; hoc modo. Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus. Pergit idem, & urget angustius. Nihil, inquit, quod animi, quodq; rationis est expers; id generare ex se potest animantem, compotemq; rationis. mundus autem generat animantes, compotesq; ra-

tionis: animans est igitur mundus, composq; rationis. Idemq; similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo. Si ex oliua modulate canentes tibiae nascerentur; non dubitares, quin inesset in oliua tibiae quaedam scientia. quid, si platanis fiducias ferrent numerose sonantes? idem scilicet cense-res, in platanis inesse musicam. cur igitur mundus non animans, sapiensq; indicetur, cum ex se procreet animantes, atque sapientes? Sed, quoniam coepi secus agere, atque initio dixeram; negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum, deos esse: tamen id ipsum rationibus physicis confirmari uolo. Sic enim res se habet, ut omnia, quae alantur, & crescant, contineant in se uim caloris: sine qua neque ali possunt, neque crescere. nam omne, quod est calidum, & igneum, citatur, & agitur motu suo: quod autem alitur, & crescit, motu quodam utitur certo, & aequabili: qui quam diu remanet in nobis, tam diu sensus, & uita remanet: refrigerato autem, & exstincto calore, occidimus ipsi, & exstinguimur. quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta uis insit caloris in omni corpore. negat enim ullum esse cibum tam grauem,

grauem, quā is die, & nocte concoquatur. cuius etiā in reliquijs inest calor, ijs, quas natura respuerit. Iam uero, uenae, & arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu: animaduersumq. saepe est, cum cor animantis alicuius euulsum, ita mobiliter palpitarēt, ut imitaretur igneam celeritatem. omne igitur,

quod uiuit, siue animal, siue terra editum, id uiuit propter inclusum in eo calorem. ex quo intelligi debet, eam caloris naturam uim in se habere uitalem, per omnem mundum pertinentem. Atque id facilius cernemus, toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato.

EXPLANATIO

VBERIVS ꝛ copiosius. FVSIVS, ꝛ explicatius. CALVMNIAM ꝛ cauillationem, nam in dubium omnia reuocant Academicici. APERTIORA ꝛ magis patentia, atq. apta reprehensionī, & calumniae. FLVMINE ꝛ abundantia, profusione. VITIA ꝛ errata. DILVNTVR ꝛ purgantur. ANGVSTIA autem conclusae ꝛ oratione copiosa, uelut flumine facilius diluuntur reprehensoris uitia, quam breui, & angusta. CONCLVSAE ꝛ compressae, atq. aridae orationis. TVTATVR ꝛ defendit, quoniam obscura est. Sic premebat. ꝛ presso orationis genere ita concludebat ut sequitur, Quod ratione utitur est optimum, Mundus est optimus; igitur mundus ratione est praeditus. EFFICI ꝛ concludi. OMNIA enim haec ꝛ nempe mundum esse sapientem, beatum, & aeternum. EFFICITVR ꝛ. ꝛ concluditur, inquit, mundum esse deum omnia scilicet producentem, & conseruantem. IDEMQ. hoc modo ꝛ Idem Zeno hoc modo prosequitur ad probandum mundum sentire. NIHIL, quod animi ꝛ Ex definitione generationis. Generare enim est speciem sui similem producere, Mundus producit animantes, & ratione praeditos, Igitur mundus est animans, &c. VRGET ꝛ comprimit. COMPTVMQ. ꝛ & participem. MODVLATE ꝛ numerosē, & concinne. INESSET in oliua ꝛ innata esset oliuae. FIDICVLAS ꝛ paruas chordas, & neruos. SECVS agere, atq. ꝛ aliter agere, quam. ORATIONE ꝛ explicatione aliqua. OMNIA, quae ꝛ. ꝛ Vi caloris insiti res omnes aluntur, & crescunt. ALANTVR ꝛ habeant animam altricem. CRESCANT, ꝛ augeantur, uegetentur. VIM ꝛ efficaciam. AGITVR ꝛ impellitur. MOTV suo ꝛ proprio motu. CERTO, ꝛ conuenienti. Et aequabili: ꝛ & moderato. IN omni corpore ꝛ in quolibet naturali corpore. GRAVEM ꝛ terrestrem, durum, difficilis concoctionis. IN reliquijs ijs, &c. ꝛ in excrementis. MICARE ꝛ dilatatione, & compressione moueri, siue pulsum habere. PALPITARET ꝛ leuiter & frequenter moueretur interno pulsu. SIUE terra editum. ꝛ ut plantae. EAM caloris naturam. ꝛ id naturale corpus, in quo est calor. VIM in se habere uitalem, ꝛ continere effectricem causam uitae. PERTINENTEM ꝛ sibi conuenientem. PER omnem mundum ꝛ ratione uniuersae naturae corporeae, per quam singula mundana habent esse, siue naturam corpoream. Ab uniuerso enim defluit uirtus ad particulare. CERNEMVS ꝛ clare, aperteq. cognoscemus. TOTO genere igneo, &c. ꝛ uniuersa natura ignea contracta ad singularia quaedam mundana. TRANAT ꝛ quasi natando transit. respicit ad terram, de qua primo exemplificat. quod elementum infra aquam censetur, & omnium infimum.

CICERO

OMNES igitur partes mundi tangam, quae maximo calore fultae sustinentur. quod primum in terrena natura perspicere potest. nam & lapidum consuetudo, atque tritu elici ignem uidemus: & recenti fossione

- terram fumare calentem :

atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, & id maxime hibernis fieri temporibus; quod magna uis terrae cauernis contineatur caloris, eaq. hieme sit densior, ob eamq. causam calorem insitum in terris contineat artius. Longa est oratio, multaeq. rationes, quibus doceri possit, omnia, quae terra concipiat, semina, quaeq. ipsa ex se generata stirpibus infixae contineat, ea temperatione caloris & oriri, & aulescere. Atque aquae etiam admixtum esse calorem, primum ipse liquor, tum aquae declarat effusio; quae neque congelaretur frigidibus, neque niue, pruinaq. concrederet, nisi eadem se, admixto calore liquefacta, & dilapsa, diffunderet. itaque & aquilonibus, reliquisq. frigidibus adiectis durefcit humor; & idem uicissim mollitur tepescit, & tabescit calore. Atque etiam maria agitata uentis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. nec enim ille externus, & aduenticius habendus est tepor, sed

ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu, atque exercitatione recalescunt. Ipse uero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est ex pers caloris. ille uero & multo quidem calore admixtus est. ipse enim oritur ex respiratione aquarum. earum enim quasi uapor quidam aer habendus. is autem existit motu eius caloris, qui aquis continetur. quam similitudinem cernere possumus in ijs aquis, quae effervescent subditis ignibus. Iam uero reliqua quarta pars mundi, ea & ipsa tota natura feruida est, & ceteris naturis omnibus salutarem impertit, & uitalem calorem. Ex quo concluditur, cum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili, pariq. natura in tanta diuturnitate seruari; eoq. magis, quod intelligi debet, calidū illud, atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi uis, & causa gignendi: a quo & animantia omnia, & ea, quorum stirpes terra continentur, & nasci sit necesse, & aulescere. Natura est igitur, quae contineat mundum omnem, eumq. tueatur, & ea quidem non sine sensu, atque ratione. omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio coniuncta, atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in omni

in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde orientur rerum appetitus. in arborum autem, & earum rerum, quae gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. principatum autem id dico, quod Graeci *ἡγεμονία* vocant, quo nihil in quo

que genere nec potest, nec debet esse praestantius, itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturae principatus, esse omnium optimum, omniumque rerum potestate dominatumque dignissimum.

EXPLANATIO

FVLTAE ξ sustentatae. **CONFLICTV** ξ percussione. **TRITV** ξ collisus. **ELICI** ξ educi. **IVGIBVS** ξ deficientibus. **EAQ** *hieme* ξ Causa coloris in pureis hiberno tempore, quod videlicet calor ab externo frigore cohibitus interius per antiparistasim intenditur. **DENSIO** ξ spissior. **OB eamq. causam** ξ quia fit in hieme densior. **INSITVM** ξ innatum. **ARTIVS** ξ pressius, tenacius. **CONCIPIAT** ξ comprehendat quasi uentre. **STIRPIBVS** ξ plantis, quae extirpari possunt. **INFIXA** ξ inhaerentia. **TEMPERATIONE** ξ modificatione. **IPSE liquor** ξ ipse fluxus, qui citra calorem aquis inesse non possit. **CONGLACIARET** ξ in glaciem uerteretur. **CONCRESCERET** ξ densesceret, & duritiem pruinae contraheret. **LIQVEFACTA** ξ fusionem ex igne adeptae. **DIFFVNDERET** ξ fluxu dilaret. **DVRESKIT humor** ξ densatur, & concrefcit aqua. **VICISSIM** ξ ex opposito, cum opposita mutatione caeli. **TABESCIT** ξ diffluit resolutione quadam, quasi tabes, cum resoluitur caro. **Nec enim** ξ Docet maris aestum natuum esse, ac proprium ipsius maris, & non adueticium. **RESPIRATIONE** ξ exhalatione, **QVASI uapor** ξ humida, scilicet, & calida exhalatio, siue fumositas. **EXISTIT** ξ fit. **RELIQVA quarta pars mundi**, ξ igneum scilicet elementum. Hic aduertere licet, mundum proprie dici uniuersam naturam, per quam singula elementa habent esse naturale. Simplicem hanc naturam, siue quintum quoddam genus praeter elementa, Xenocrates Octonario numero deorum proposito, nobis modo quodam suo insinuauit. De eadem plurima inferius dicentur. **IMPERTIT**, ξ communicat. **VITALEM** ξ in quo uita consistit. **SYSTINEANTVR** ξ foueantur, conferuentur in uita. **Ex quo** ξ Vis caloris per omnes naturae partes diffusa, uitalē nim illis impertit, id quod exemplis declaratur. **MVNDVM ipsum** ξ ipsam uniuersam naturam. **SIMILI, pariq. natura** ξ hoc est, proprietate, quae similiter, & aequae sit feruida. **ITA** ξ tali conditione, ad hunc finem. **CONTINEAT** ξ conglutinet. **MVNDVM omnem** ξ quattuor mundi partes. **OMNEM naturam, quae non solitaria sit &c.** ξ hoc est, Quamcumq. naturam non nudam qualitatibus, neque simplicem. In omni creatura composita, siue connexa una aliqua pars eminet, & excellit. **PRINCIPATVM** ξ praestantiorum uim. **TOTIVS naturae** ξ uniuersalis, & communis. **OPTIMVM** ξ praestantissimi dotibus praeditum.

CICERO

VIDEMVS autem in partibus mundi, (nihil est enim in omni mundo, quod non pars uniuersi sit) inesse sensum & rationem. in ea parte igitur, in qua mundi est principatus, haec inesse necesse est, & acriora quidem, atque maiora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est, naturamq. eam, quae res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere, eoq. deum esse mundum, omnemq. uim mundi diuina natura contineri. Atque mundi feror ille purior, perlucidior, mobiliorq. multo, ob easq. causas aptior ad sensus comouendos, quam hic noster calor, quo haec, quae nota nobis sunt, retinentur, & uigēt. Absurdum est igitur dicere, cum homines, bestiaeque hoc calore teneantur, & propterea moueantur, & sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro, & puro, & libero, eodemq. acerrimo, & mobilissimo ardore teneatur; praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitur ab alio, neque externo pulsu, sed per se ipse, ac sua sponte moueatur. nam quid potest esse mundo ualentius, quod pellat, atque moueat calorem eum, quo ille teneatur? audiamus enim Platonem, quasi quendam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum; esse autem diuinius, quod ipsum ex se sua sponte moueatur, quam quod pulsu agitur alieno. hunc autem motum

in solis animis esse ponit, ab hisq. principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur; is autem ardor non alio no impulsu, sed sua sponte mouetur: animus sit necesse est. ex quo efficitur, animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam, quod certe est mundus melior, quam ulla natura. ut enim nulla pars corporis nostri est, quae non sit minor, quam nosmet ipsi sumus: sic mundum uniuersum plurius esse necesse est, quam partem aliquam uniuersi. quod si ita est; sapiens sit mundus, necesse est. nam, si ita esset; hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, plurius esse, quam mundum omnem, oporteret. atque etiam, si a primis inchoatisq. naturis; ad ultimas perfectasq. uolumus procedere; ad deorum naturam perueniamus, necesse est. Primo enim animaduertimus a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra; quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo, atque augendo tueretur. bestijs autem sensum, & motum dedit, & cum quodam appetitu accessum ad res salutare, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regeretur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum contineretur.

EXPLANATIO

VIDEMVS autem? Ex natura partium ad totum, partibus mundi inest sensus, & ratio, ut animantibus, & homini. Igitur & mundo. HAEC inesse? sensum scilicet, rationem, sapientiam, & uirtutem. ACRIORA? praestantiora. NATVRAMQ. eam? uniuersam. QVAE res omnes? singulas. COMPLEXA? coniuuncta, ac unita. DEVM esse mundum? hoc est, uniuersam naturam. OMNEMQ. uim mundi? singulas omnes mundi uires. DIVINA natura? uniuersa scilicet, quae & mundus, & deus dicitur. CONTINERI? conglutinari. MVNDI feruor ille,? feruor ille in uniuersa natura, quae mundus dicitur. PVRIOR,? subaudi, est. RETINENTVR? seruantur in diuturnitate, ut paullo supra dictum est. Et uigent? & augetur. Hoc calore? in quo, ut paullo supra dictum est, inest procreandi uis & causa gignendi. TENEANTVR,? conseruentur. PELLAT? pulsu tangat. ILLE? mundus, siue uniuersa natura. AVDIAMVS Platonem? Confirmat rationem suam auctoritate Platonis. Vide in eius dialogo, qui Phaedrus inscribitur. CUI duos? Duplex Platonis motus, alius proprius, alius externus. SVVM,? proprium, siue intrinsecum. EXTERNVM? alienum, atque accidentale. HVNC autem motum? spontaneum. AB hisq. animis mouentibus corpora continuata, & perenni motione, quam Entelechiam Aristoteles nominauit, ut habetur Tusc. I. MOTVS omnis? motus uniuersae naturae. MELIOR praestantior. QVAM ulla natura? quam aliqua alia res naturalis, quae est pars uniuersae naturae. HOMINEM, qui est? Totum est melius qualibet sua parte. Mundus est totus, Homo pars, Igitur, cum homo sit rationis particeps, multo magis ratione praeditus est mundus. A primis? imperfectis: ut mineralia, & uegetabilia. AD deorum naturam? ultimam scilicet, & perfectam. PRIMO enim? Gradus naturarum quattuor. Primus stirpium, siue plantarum. Secundus bestiarum. Tertius hominis. Quartus dei, qui eo recensetur, ut dei natura omnium optima, perfectissima, & sapientissima declaratur. SVSTINERI? tamquam absentia, quae subest. NATVRA? eadem, quae *isopora*. ALENDO? nutriendo. AVGENDO? crescendo. TVERETVR,? conseruaret. SENSVM? animam sentientem. MOTVM? animam loco mouentem motu libero. APPETITV? naturali cupiditate. TVM remitterentur tum continerentur? modo decrederent, modo crescerent, ita dictante ratione.

CICERO

QUARTVS autem gradus, & altissimus, eorū, qui natura boni, sapientesq. gignitur: quibus a principio innascitur ratio recta, constansq., quae supra hominem putanda est, deoq. tribuenda, id est mundo in quo necesse est perfectam illam, atq. absolutam inesse rationem. neq. enim dici potest, in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum, atq. perfectum. ut enim in uite, ut in pecude, nisi quae uis obstitit, uidemus naturam suo quodam itinere ad ultimum peruenire; atq. ut pictura, & fabrica; ceteraeq. artes habent quandam absoluti operis effectum: sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolui aliquid, ac perfici. etenim ceteris naturis multa externa, quo minus perficiatur, possunt obistere: uniuersam autē naturam nulla res potest impedire: propterea quod omnes naturas ipsa cohibet, et cōtinet. quocirca necesse est esse illum quartum, et altissimum gradum, quo nulla uis possit accedere. is autem gradus est, in quo rerum omnium natura ponitur: quae quoniam talis est, ut praesit omnibus, & eam nulla res possit impedire; necesse est intelligentem esse mundum, & quidem etiam sapientem. quid autem est inscitius, quam aut eā naturam, quae omnes res sit complexa, non optimam dici, aut, cum sit optima, non primum animantem esse, deinde rationis, & consilij compotem; postremo sapientem? qui enim aliter potest esse optima? neq. enim, si stirpium similis sit, aut etiam bestiarum, optima putanda sit potius, quā deterrima: nec uero, si rationis particeps sit, nec sit tamē a principio sapiens, non sit deterior mundi potius, quam humana condicio. homo enim sapiens fie-

ri potest: mundus autem, si in aeterno praeteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profecto sapientiam consequetur: ita erit homine deterior. quod quoniam absurdum est; & sapiens a principio mundus, & deus habendus est, neque enim est quidquam in aliud, praeter mundū, cui nihil absit, quodq. undiq. aptum, atq. perfectum, expletumq. sit omnibus suis numeris, & partibus. scite enim Chrysippus ut clypei causa inuolucrum, uaginā autem gladij; sic, praeter mundum, cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges, atq. fructus, quos terra gignit, animantium causa, animantes autem hominum, ut equum uehendi causa, arandi bouem, uenandi, & custodiendi canem: ipse autem homo ortus est ad mundum cōtemplandum, & imitandum, nullo modo perfectus, sed quaedam particula perfecti. sed mundus quoniam omnia complexus est; nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undiq. est. quid igitur potest ei deesse, quod est optimum est mente, et ratione melius; ergo haec mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adiungens, omnia in perfectis, et maturis docet esse meliora; ut in equo, quā in equulo; in cane, quā in catulo; in uiro, quā in puero; iam quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo, atq. absoluto esse debere. est autem nihil mundo perfectius, nihil uirtute melius: igitur mundi est propria uirtus. nec uero hominis natura perfecta est: & efficitur tamen in homine uirtus: quanto igitur in mundo facilius est ergo in eo uirtus sapiens igitur est, & propterea deus.

EXPLA-

QUARTVS *z* autem gradus, *z* Egit primo de calore in natura terrena, deinde in natura aquae, tertio in natura aërea, quarto de calore in uniuersa natura, in qua sit procreandi uis. Nunc dicit hunc quartum gradum pertinere ad eos, qui natura boni sapientisq. gignuntur. *Q*VI natura boni? Aristoteles in ultimo Moralium dicit. Aliqui boni fiunt natura, aliqui doctrina. Natura ut constat in nostra potestate non est, sed innascitur his hominibus, per causam quandam diuinam, qui uere sunt fortunati. haec philosophus. Pindarus uero, Boni, inquit, uiri, & sapientes diuino munere generantur, complures homines comparatis uirtutibus nituntur ad gloriam. Sed, quod sine deo sit, filetur prudentius, quam praedicetur naturale, quodcumq. optimum. *A principio* *z* ab infimo gradu. Balbus quattuor hoc ordine mundi partes recenset, terram, aquas, aërem, atque ignem, per quas ueluti per gradus anima adscēdat, atque descendat, & paullo inferius pro aere nominat consilium, ac mentem, & pro aquis rationem, & sensum. pi aeterea animam in sublimi aethere positam tamquam deum agnoscit, atque sapientem, quam in infimo gradu augescere quidem dicit, nec tamen loco moueri. Quae omnia notata maxime digna sunt, ideo dicta, ut ostendamus, cur principium pro infimo gradu sit expositum, prius tamen uidendum, quid sit recta ratio: idq. similitudine quadam. Sit uniuersi anima quasi ratis, siue nauis in mari fluxu, & refluxu discurrens, & hunc discursum ratiocinationem dicamus. Eam certe duobus oppositis motib. fieri palam est. Motus igitur ille, qui animam ipsam ab infimo gradu ad supremum ducit, recte rationis nomine hic a Cicerone appellatur, & e contra obliquus, qui eam a supremo deducit ad infimum gradum. Cum autem ordo motum consequatur, atque a natura, ita comparatum sit, ut ab imperfectis, infimis ue gradibus, ubiq. tendat ad perfectionem, tamquam ad intentum finem; profecto ipso rectae rationis motu ducti principium exposuimus infimum mundi gradum, a quo incipimus erigi: pertinet enim hic sermo ad eos, qui boni, sapientesq. gignuntur. *S*UPRA hominem putanda est, *z* hoc est, posse erigere illum supra inchoatam naturam suam. *D*E O. *tribuenda, id est mundo* *z* Eadem essentia, quae in sublimi aethere deus in undis, seu aquis mundus appellatur, & ratio inter utrumque aërem crassum scilicet & subtilem, quamquam confunditur, & nos paullo superius facillioris exempli gratia in aquis ratiocinantem induximus. *I*N *ulla institutione* *z* in aliqua ordinatione, quaecumq. illa sit. *E*XTREMUM *z* ultimum. *Q*VAE *uis* *z* aliqua uolentia, & contrarius conatus. *S*UO *quodam itinere* *z* proprio quodam progressu. *F*ABRICA, *z* ars fabrilis. *E*FFECTUM *z* finem. *I*N *omni natura*, *z* uniuersa natura, id est mundo, & causa communi. *C*E T E R I S *naturis* *z* particularibus. *M*ULTA *externa* *z* multa aduenticia impedimenta. *O*MNES *naturas* *z* partiales coercet. *N*ULLA *uis* *z* nullus contrarius impetus. *S*APIENTEM, *z* summa perfectione praeditum. *N*ON *primum animantem esse*, *z* constat optima natura, quattuor gradibus, quos paullo supra terram aquas, aërem, & terram nominauit: nunc uero ratio pro aquis, & consilium pro aere ponitur, quod maxime notandum uidetur. *Q*VI *enim* *z* Quomodo, inquit, posset esse optima, nisi quattuor gradus obineret? *S*i *stirpium similis sit*, *z* Quamuis, inquit, natura, siue mundus, siue anima, augetur ueluti stirpes, aut acquisiuerit localem motum ueluti bestiae, hoc est particeps fuerit obliqui motus; non ob id putanda est potius optima, quam abiectissima. Et si particeps sit rationis, hoc est utroque motu impellatur, nec sit tamen a principio sapiens, hoc est, nisi particeps fuerit infimi gradus, atq. supremi; non ob id putanda est condicio illius non potius deterior, quam condicio hominis. *H*OMO *enim sapiens fieri potest*: *z* nimirum, qui, etsi deficit a quarto gradu, ad ipsum tamen ratione recta duce peruenire potest, & sapiens fieri; cum aer, in quo ratiocinatur, sit particula aetheris. Comparatio hominis, & dei, qua sapientia dei aeterna explanatur. *Q*UOD *quoniam absurdum est*; *z* mundum scilicet deteriorem esse homine. *N*E Q. *enim est* *z* Mundus perfectus, & omnibus numeris, atq. partibus suis expletus. *C*UI *nihil absit* *z* cui nihil desit ad suam perfectionem. *O*MNIBVS *suis numeris* *z* omnibus suis gradibus, quos quattuor enumerauit paullo supra, & ueluti partes mundi appellauit, nempe terram, aquas, aërem, & ignem. *S*CITIB. *enim* *z* laudat Chryssippi dictum sapiens, omnes res in mundo generari ad hominis usus, hominem autem ad dei contemplationem, & cultum. *I*N *uolucrum*, *z* tegmen, quo inuoluitur, ut nitidus conferuetur. *C*ONTEMPLANDUM *z* considerandum. *E*T *imitandum* *z* omnibus scilicet numeris explendo se ipsum. *S*ED *quaedam particula perfecti* *z* nimirum constitutus in tertio gradu, qui est altissimo gradui proximus. homo enim uiuit in aere, uti in regione propria: aer uero particula perfecti dicitur, hoc est aetheris: nihil enim aliud est aether, quam ardens aer. ita tamen atdens, ut non consumat, ac dissipet, sed tamquam salutaris omnia conferuet, alatur, augeat, sustineat, sensuq. afficiat. *O*MNIA *complexus est* *z* omnes partes suas. *Q*UI *igitur ei deesse, &c.* *z* qua si dicat, nihil profecto, habet enim omnes suas partes, ac seipso contentus beatam agit uitam. *M*ENTE, *z* consilio, scilicet, nam paullo supra Balbus meminit de natura primum animante, deinde rationis compositae, atque consilii, postremo uero sapiente: ubi quattuor ueluti gradus, per quos natura adscēdat, & descendat, posuille perspicuum est. *R*A T I O N E *z* recta scilicet, de qua nonnulla superius dicta sunt. *B*E N E *igitur* *z* prudenter igitur. *M*A T U R I S *z* idem, quod perfectis. *T*R A S L A T I O *est* *z* a fructibus, qui, cum ita perfecti sunt, ut gustui sint suaues, maturi dicuntur. Ita & puella, matura uiro dicitur, quae ad eam aetatem peruenit, ultra quam deficeret a perfectione sua nubili. *E*Q. *uulo* *z* equino pullo. *V*R T U T E *z* perfectione omnium potentiarum. *M*U N D I *est propria* *z* cum sit quoddam perfectum ex omnibus suis potentijs. *N*E C *uero hominis* *z* Argumentum ex minori. In hominis natura imperfecta existit uirtus, igitur multo magis in deo. *Q*U A N T O *igitur in mundo facilius* *z* quasi dicat, longe igitur probabilius est dicere, in mundo esse uirtutem, quam in homine, quoniam mundus sapiens est a principio; homo autem sapiens fieri potest. *E*T *propterea deus* *z* id est, natura diuina praeditus est. Sapiens nomen, inquit Plato, soli deo conuenit.

C I C E R O

ATORE, hac mundi diuinitate perspecta, tribuēda est sideribus eadem diuinitas: quae ex mobilissima, purissimaq. aetheris parte gignantur, neque ulla praeterea sunt admista natura, totaq. sunt calida, atq. perlucida; ut ea quoque rectissime & animantia esse, et sentire, atque intelligere dicantur. Atque ea quidem tota esse ignea, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, et oculorum. nam solis candor illustrior, quam ullus ignis, quippe qui immenso mūdo tam longe, lateq. colluceat: & is eius tactus est, non ut tepesciat solum, sed etiam saepe comburat. quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. ergo, inquit, cum sol igneus sit, Oceaniq. alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum, atque ad uictum; aut ei, qui corporibus animantium continetur. atque hic noster ignis, quem usus uitae requirit, confector est, & consumptor omnium; idemq. quocumque inuasit, cuncta disturbat, ac dissipat. contra ille corporeus, uitalis, & salutaris omnia conseruat, alit, auget, sustinet, sensuq. afficit. negat ergo esse dubium, horum ignium sol utri similis sit; cum is quoque efficiat, ut omnia floreant, & in suo quaque genere pubescant. Quare, cum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium: solem quoque animantem esse oportet, & quidem reliqua astra, quae oriuntur in ardore caelesti, qui aether, uel caelum nominatur. Cum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aere aliorum: absurdum esse Aristoteli uidetur, in ea parte, quae sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aetherium locum obtinent: qui quoniam tenuissimus est, et semper agitur, & niget; necesse est, quod animal in eo gignatur, idem & sensu acerrimo, & mobilitate celerissima esse. quare, cum in aethere astra gignantur; con-

sentaneum est, in ijs sensum inesse, & intelligentiam, ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda. etenim licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolat eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo, atque concreto. quin etiam, cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur, praestantem intelligentiam in sideribus esse, quae & aetheriam mundi partem incolant, & marinis, terrenisq. humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum, atque intelligentiam maxime declarat ordo eorum, atque constantia. nihil est enim, quod ratione, & numero moueri possit sine consilio: in quo nihil est temerarium, nihil uarium, nihil fortuitum. ordo autem siderum, & in omni aeternitate constantia, neque naturam significat, est enim plena rationis; neque fortunam, quae amica uarietati constantiam respuit. sequitur ergo, ut ipsa sua sponte, suo sensu, ac diuinitate moueantur. Nec uero Aristoteles non laudandus in eo, quod omnia, quae mouentur, aut natura moueri censuit, aut uoluntate: moueri autem solem, & lunam, & sidera omnia: quae autem natura mouerentur, haec aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret, propterea quod eorum motus in orbem circumferretur. Nec uero dici potest, ut quadam maiore fieri, ut contra naturam astra moueantur. quae enim potest maior esse? restat igitur, ut motus astrorum sit uoluntarius. quae qui uideat, non indocte solum, uerum etiam impie faciat, si deos esse neget. nec sane multum interest, utrum id neget, an eos omni purgatione, atque actione priuet. mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non uidetur. esse igitur deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, uix eius sanae mentis existimem.

E X P L A N A T I O

HAc mundi diuinitate? hac natura aetheria, igni scilicet, atq. aeri admixta. TRIBUENDA est sideribus eadem diuinitas & eadem natura aetheria. Sidera de Stoicorum sententia sunt animantia, & ignea, Oceaniq. & terrae uaporibus aluntur. Aetheris parte. Materia caeli, & stellarum est aetheria. NEQ. ulla praeterea sunt admista natura? quae scilicet mobilissimam & purissimam aetheris partem posset impedire, & inertem facere. VT quia quoque &c. & ut ea sidera quemadmodum etiam mundus dicantur participare de anima altrice, item de sensitua, & intellectuua iuxta tres gradus naturales superius enumeratos. EA esse tora ignea? In uniuersa natura siderum praedominari qualitatem igneam. Astra esse ignea duplex probatio. CANDOR? splendor. ET is? & talis. QVORVM neutrum? illustrare scilicet, & comburere. OCEANI humoribus, & nempe purioribus, lucidis, & defaecatis. ideo apud Oceanum poetae finxere symposia louis, ceterorumq. deorum. VSVS? utilitas. CONFECTOR? corruptor. CONSUMPTOR? uorator. INVASIT, & penetravit. CONTRA ille? Duplex ignis, elementaris, & uitalis, qui est uidelicet calor uiuificans in animantibus & sole. CORPOREVS? naturali corpore cognatus. VTRI? cui ex duobus. Is quoque? nempe Sol. FLOREANT? quasi fructus producturi. PUBESCANT? accedant ad productionem fructuum. SIMILIS sit, & eandem habeat uim. CVM igitur aliorum? Quo pars mundi est nobilior, eo meliora gignit animantia, Caelum, siue aether est nobilissima pars mundi, igitur gignit nobilissima animantia, uidelicet astra. ABSURDVM? tamquam rationi rectae non concinens. APTISSIMA? quoniam ignea qualitas uitam affert. TENUISSIMVS? subtilissimus, ac per hoc mobilissimus. AGITATVR? sursum, atq. deorsum impellitur. ET niget? & in augmento est. ACERRIMO? acutissimus. IN deorum numero astra esse ducenda. Existimandum est, inquit, astra habere naturam diuinam. ACUTIORA ingenia, & Regio, quae puro, & tenui aere circumfunditur, acutiora gignit ingenia, quam quae caelo utitur crasso, atq. concreto. multum igitur refert, quo

loco natus sis. PVRVS, & tenuis, lucidus, defacatus. CRASSO caelo & Crasso aere. Caelum pro aere, & e contra saepius positum animaduertimus. CONCRETO, & condensato. CRBO & Cibus aliquid confectad mentis aciem. MENTIS aciem & ingenij acumen, quod ex calore prouenit ORDO & certa dispositio. Et constantia, & eodem in ordine perseverantia. RATIONE, & ordinato motu. Et numero & certa ordinis constantia. SINE consilio, & sine mente. NIHIL temerarium & nihil rationi rectae oppositum, ex quo uarietas & casus a supremo gradu ad infimum. In omni aeternitate & in uniuersa mente. NEQ. naturam, & Natura agit sine deliberatione & iudicio, ex quo obiectio nascitur. Nullum *αλογος* agit certo modo, natura est *αλογος*, & agit sine ratione. Igitur natura non agit certo modo. NATVRAM: & quae scilicet in omni aeternitate est uniuersa. SIGNIFICAT & influendo adauget uarietatem, quoniam, inquit, siderea natura plena est rationis rectae, simplex est, nullam in se habens temeritatem. NEQ. fortunam & subaudi imprimis. Sensus est, ex constanti motu siderum recta ratione factio arguitur nullam illis inesse temeritatem, quoniam induceret uarietatem. Vt ipsa &c. & Cum nihil, inquit, possit accidere sideribus, in quorum substantia praedominatur qualitas aetheria, & proinde diuina, sequitur ut ipsa moueantur sua sponte, suo sensu, ac diuinitate, quare rectissime & animantia esse, & sentire & intelligere dicantur. NEC uero & In eo inquit laudandus Aristoteles, quod triplicem proposuit motum, naturalem, innaturalem, & uoluntarium. RESTAT igitur, & superest igitur. ACTIONE priuet, & ut priuabat Epicurus. NEC sane & Epilogus primae partis, continens asseuerationem, Esse deos, cum refutatione *απρονοίας* Epicuri.

C I C E R O

RESTAT, ut, qualis eorum natura sit, consideremus; in quo nihil est difficilius, quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. ea difficultas induxit & uulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum, ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de dijs immortalibus cogitare. cuius opinionis leuitas, confutata a Cotta, non desiderat orationem meam, sed, cum, talem esse deum, certa notione animi praesentiamus, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius, ad hanc praesensionem, notionemq. nostram nihil uideo, quod potius accomodem, quam ut primum hunc ipsum mundum, quo nihil fieri excellentius potest, animantem esse, & deum iudicem. Hic, quam uolet, Epicurus iocetur, homo non apertissimus ad iocandum: minimeq. respiciens patriam, & dicat se non posse intelligere, qualis sit uolubilis, & rotundus deus: tamen ex hoc, quod ipse etiam probat, numquam me mouebit, placet enim illi esse deos; quia necesse sit stantem aliquam esse naturam, quia nihil sit melius: mundo autem certe nihil est melius, nec dubium, quin, quod animans sit, habeatq. sensum, et rationem, & mentem, id sit melius, quam id, quod his careat. ita efficitur, animantem, sensus, mentis, rationis mundum esse compotem. qua ratione, deum esse mundum, concluditur. Sed haec paulo post facilius cognoscuntur ex ijs rebus ipsis, quas mundus efficit. Interea, Vellei, noli quae so praetereffe, nos plane expertes esse doctrinae. Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorem, quam sphaeram, uideri. Nouum etiam oculorum iudicium habetis, sed sint ista pulchriora, dumtaxat ad spectu: quod mihi tamē ipsum non uidetur: quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeq. nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil am fractibus, nihil eminens, nihil lacunositas, cuius duae formae praestantes sint, ex solidis globus (sic. n. *σφαίρα* interpretari placet) ex planis autem circulus &

aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur: his duab. formis contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimae, a medioq. tantum absit extremum, quantum idē a summo: quo nihil fieri potest aptius. Sed, si haec non uideris, quia numquam eruditum illum puluerem attigistis: an ne hoc physici quidem intelligere potuistis, hanc aequalitatem motus, constantiamq. ordinum in alia figura non potuisse seruari? itaq. nihil potest esse indocilius, quam quod a uobis affirmari solet. nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis: nam posse fieri, ut sit alia figura: innumerabilesq. mundos, alios aliarum esse formarum. quae, si, bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret, sed, dum palato, quid sit optimum, iudicat: caeli palatum, ut ait Ennius, non suspexit, nā, cum duo sint genera siderum, quorum alterum spatij immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum umquam cursus sui uestigium in seclat: alterum autem continuas conuersiones duas iisdem spatij, cursumq. conficiat: ex utraq. re & mundi uolubilitas, quae nisi in globosa forma esse non posset, & stellarum rotundi ambitus cognoscuntur: primusq. sol, qui astrorum obinet principatum; ita mouetur, ut, cum terras larga luce compleuerit, eadem modo his, modo illis partibus opacet. ipsa enim umbra terrae soli officiens, noctem efficit: nocturnorum autem spatiorum eadem est aequalitas, quae diurnorum. eiusdemq. solis tum accessus modici, tum recessus, & frigoris, & caloris modum temperant. circuitus enim solis orbium v diebus & LX & CCC, quarta fere diei parte addita, conuersionem conficit annuam: in seclat autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem, aestatē, & hiemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. ita ex quattuor temporum mutationibus, omnium, quae terra, maria, gignuntur, initia, causasq. ducuntur.

EXPLANATIO

RESTAT ζ secunda pars, Qualis sit deus, quam orditur ab attentione, seu difficultate. In quo ζ in cuius rei consideratione. A consuetudine oculorum ζ ab eo, quod consueuimus cernere. ACIEM mentis ζ acumen intellectus. ABDUCERE ζ remouere, atq. de dijs statuere, ut recta ratio exposcit, & non sensus. EA diffcultas ζ abducendi mentem ab usu oculorum. IMPERITOS, ζ quorum sensus obliquus est. Et similes ζ eodem iudicio sensuum urentes ad aliquid statuendum, & decernendum. CONSTITVTIS ζ suppositis. LEVITAS ζ infana, & futilis assertio. SED, cum talem ζ Repetit priores hypotheses, & ad praesentem quaestionem accommodat. CONFVTATA a Cotta, ζ ut in superiore uolumine disputatum est. PRAESENTIAMVS ζ praenoscamus sensu. ACCOMMODEM, ζ addam. HIC ζ in hac parte QUAM uolet ζ quantum uolet. MINIMEQ. respiciens patriam ζ homo locutionis incultae, quaquam Athenis natus, ubi erat emporiū eruditionis & eloquentiae. QVALIS ζ cuius cōdicionis. IPSE probat ζ asserit tāquā uerū, & cōi cōsensu cōfirmatā: nimitū deos esse. MVNDO autē Repetit argumēta Zenonis. Ex ijs ζ ex effectis, quae causam ostēdūt efficiētem. NOLI praefere ζ noli tuis uerbis patefacere. Vos ζ Epicureos, quorum sectator erat Velleius. CONVM tibi ζ De figura mundi sphaerica contra Velleium apologia. QUAM sphaeram, ζ globosam figuram, & rotundam. NOVVM ζ alienum ab alijs, & inauditum. QVAE sola omnes ζ A multitudine, seu dignitate figura perfectissima, capacissima, & agillima est optima. Figura sphaerica est talis, Igitur est optima. NIHIL asperitatis ζ nam leue necesse est esse cum eiu: circumferentia, aequē distat a centro. AMFRACTIBVS ζ curuitatibus. Vnde Amfractus dicuntur siluarum, & fluminum flexus, & ambages. Lacunolum cauum descendens, & lacunas faciens. Ex solidis, ζ trina dimensione comprehensis. Ex planis ζ duas dimensiones habentibus. EXTREMVM ζ circumferentia. IDEM ζ ipsum medium. A summo ζ ab extremo. APTIVS ζ perfectius. Si haec non uidetis ζ nunc dicta, quae in duabus praestantibus formis uideri possunt. ERVDITVM illum puluerem ζ in quo scilicet eruditi Geometrae descriptiones, & rationes suas faciunt. Perstringitur autem a *μαθηματικά* Epicuri, hoc est inscitia Mathematicum. PHYSICI ζ naturae interpretes, quae est principium motus, & quietis AEQUALITATEM motus, ζ temperamentum motus. CONSTANTIAMQ. ζ & perseverantiam. Bis bina, quid essent. ζ Bina, numerum significat, non qualitatem: itaque sic opinor rectius, Bis bina quot essent, una littera immutata: siquidem Quis, pro Quid, ueteres scribebant: quae deinde multorum errorum causa fuit, describentibus libros hominibus imperitis. Antiquus liber Iulij Galli, Bis binaq. essent. Haec Paullus pater. Si bis bina quot essent: si nim numerorum, figuratum, & corporum mathematicorum didicisset. CAELI palatum ζ caeli superficiem interiorē. NAM, cum duo sint ζ Caelum, caelestiaq. corpora rotunda esse probat, per motum, ac faciles conuersiones. COMMEANS ζ cum ipso caelo tendens, tamquam illi infixum. ALTERVM ζ septem planetas intellige. hoc est errantes. CONTINVAS conuersiones duas ζ unam, ab occasu ad ortum per signiferum circulum Zodiacum a Graecis dictum, & alteram ab ortu in occasum. ISDEM spatys ζ per eiusdem signiferi latitudinem. Ex utraq. re, ζ ex duplici, & continua conuersione. VOLVBITAS ζ conuersio. GLOBOSA ζ rotunda. SOL, qui ζ Sol princeps, & moderator reliquorum hominum gratas uices diei, & noctis; item aestatis, & hiemis efficit. MOVETVR ζ per Zodiacum, a Capricorno ad Cancrum. LVCE compleuerit ζ illustrauerit. OPACET. ζ obscurat ex interpositione terrae. OFFICIENS ζ obstant. SPATIOVM ζ interuallorum. AEQUALITAS ζ temperatura. MODICI ζ seruantes modum, mediocritatem, temperamentum. TEMPERANT. ζ disponunt. CIRCVITVS enim solis orbium v. defectibus. ζ Nos ex antiquo libro, Diebus, pro, Defectibus, reposuimus. Haec Paullus pater. ORBIVM ζ circularum, id est dierum & noctium. QVARTA fere diei parte ζ sex horis. EA duo tempora ζ id est uer, & autumnum. SENESCENTI ζ languidae, deficienti. ADIVNCTVM ζ proximum, scilicet uer. ALTERVM aestati ζ scilicet autumnus. DVCVNTVR ζ originantur.

CICERO

IAM, solis annuos cursus spatys menstruis luna cōsequitur: cuius tenuissimum lumē facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. neque solum eius species, ac forma mutatur cum crescēdo, tum defectibus in initia reuertēdo, sed etiam regio, quae tum est aequilonaris, tum australis. In lunae quoque cursu est & brumae quaedam, & solstitij similitudo: multaq. ab ea manant, & fluunt, quibus & animantes alantur, augetur, & pubescant; maturitatemq. assequantur, quae oriuntur e terra. Maxime uero admirabiles sunt motus earum quinque stellarum, quae falso uocantur errantes. nihil enim erat, quod in omni aeternitate conseruat progressus, & regressus, reliquos motus constantes, et ratos. quod eo est admirabilis

in bis stellis, quas dicimus, quia tū occultantur, tū rursus aperiuntur: tū abeunt, tū recedūt. tū antecedūt, tū subsequūtur, tū celerius mouētur, tū tardius: tū oīno ne mouētur quidē, sed ad quodda tps insistūt. quarū ex disparibus motionibus magnum annū mathematici nominauerunt. qui tum efficitur, cum solis, & lunae, & quinque errantium ad eandem inter se comparisonem confectis omnium spatys est facta conuersio. quae quam longa sit, magna quaestio est: esse uero certā, & definitā, necesse est. Nā ea, quae Saturni stella dicitur, *φαιδρον* q. a Graecis nominatur; quae a terra abest plurimū, xxx fere annis cursum cōficit. in quo cursu multa mirabiliter efficiēs tū antecedēdo, tū retardādo, tū uespertinis t pib. delitescēdo, tū matutinis rursus se aperiendo, nihil immutat sem-

piternis saeculorum aetatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Infra autem hanc, propius a terra, Iouis stella fertur, quae φαῖδρον dicitur: eaq. eūdem x i i. signorum orbem annis x i i. cōficat; eademq., quas Saturni stella, efficit in cursu uarietates. Huic autem proximū inferiorem orbem tenet πύρρεις, quae stella Martis appellatur; eaq. i v. & x x. mensibus, v i, ut opinor, diebus minus eundem lustrat orbem, quem duae superiores. Infra hanc autem stella Mercurij est: ea στίλβων appellatur a Graecis: quae anno fere uertente signiferum lustrat orbem, neq. a sole longius umquam unius signi interuallo discedit, tum anteuertens, tum subsequens. Infima est quin-

que errantium, terraeq. proxima, stella Veneris: quae φῶσφορος Graece, Lucifer Latine dicitur; cum antegreditur solem; cum subsequitur autem, Hesperos. ea cursum anno conficit, & latitudinem lustras signiferi orbis, & longitudinem: quod idem faciunt stellae superiores: neq. umquā ab sole duorum signorum interuallo longius discedit, tum antecedens, tum subsequens. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam, tam uarijs cursibus, in omni aeternitate cōuenientiam temporum, non possum intelligere, sine mente, ratione, consilio. quae cum in sideribus inesse uideamus; non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere.

EXPLANATIO

LVNA Luna mensis spatio semel conficit suum cursum, quem sol in anno integro absoluit. Quo autem propior est soli, eo minus lucis in eo cernimus; & quo longius ab eo recedit, eo plenius eius lumen nobis apparet. SPATIIS & interuallis. TENUISSIMUM & minimum. DEFECTIBVS & decretionibus. IN INITIA & ad coniunctionem. nam ad solem iterum rediens quo accedit propius, eo magis lumine deminuitur, donec tandem solem asequens, & cum eo coniuncta, nullam partem sui luminis nobis obuertit, quod tempus uocatur Nouiluniū. REGIO & Aliter Lunae lumen apparet Septemtrionalibus, aliter Meridionalibus populis, quod ea tantum pars eius lumine completur, quae soli obuersa est, & in humanos oculos incurrit. Cum igitur Luna a coniunctione solis recedit, uertit arcus cornua a sole uersus orientem, & contra, accedens ad coniunctionem uertit cornua ad occasum. BRVMÆ quaedam, & id est solstitij hiberni & aestiui quaedam imago existit in Lunae cursu, habet enim perinde ut sol puncta maximae sublimitatis, siue exaltationis, & humilitatis, quae uocantur ἀπογειόν καὶ περιγειόν. MANANT, & fluunt & Effusiones Lunae insignes sunt in hac inferiori natura, aere, aquis, terra, plantis, & animantium corporibus. Excitat enim, auget, alit, & minuit humores. ALANTVR, & nutriantur, uegetentur, & crescant. MATVRITATEM & ultimam perfectionem. FALSO & perperam, quoniam reuera lapsu certo, spatioq. feruntur. Vocantur autem errantes respectu siderum fixatum, quae caelo inhaerent. CONSTANTES, & ratos & perseverantes, & firmos. AD QUODDAM TEMPUS & Planetae praesertim superiores interdum sic cursum suum inhibent, ut dies aliquot tamquam immoti subsistere uideantur, & tunc dicuntur σπιζόντες, stationales. MAGNUM annum & annus magnus, uidelicet communis omnium planetarum periodus, & in eum statum, quem ab initio mundi habuerunt restitutio, auctore Platone. Macrobius enarrans somnium Scipionis, magnum annum, mundanum annum uocat. SATVRNI stella & φαίρον καὶ ἄρ' υἱός. QVAM & quantum QVAESTIO & disputatio. NAM ea & probat necessitatem, & certitudinem huius definitae conuersionis. φαίρον, & id est, faciens, & praebens lumen, & φαίνομαι Graece luceo, & appateo Latine. φαέθρον & splendidus, & accensus. componitur enim a luce, & uro. πύρρεις, & igneae, & ad dentis naturae. LYSTRAV & circumdat. στίλβων & id est, radians, & micans. VERTENTE & currente. ANTEVERTENS & praeueniens. CONVENIENTIAM & concordiam.

CICERO

NEC uero eae stellae, quae inerrantes uocantur, non significant eandem mentem, atq. prudentiam; quarum est quotidiana, conueniens, constansq. conuersio: nec habent aetherios cursus, neque caelo inhaerentes, ut pleriq. dicunt physicae rationis ignari. non est enim aetheris ea natura, ut ui sua stellas complexa contorqueat. nam tenuis, ac perlucens, & acquabili calore suffusus aether, non satis aptus ad stellas cōrinendas uidetur. habent igitur suam sphaeram stellae inerrantes ab aetheria coniunctione secretam, & liberam. earum autem perennes cursus, atq. perpetui, cum admirabili, incredibiliq. constantia, declarant in his uim, & mentem esse diuinam: ut, haec ipsa qui non sentiat deorum uim habere, is nihil omnino sensurus esse uideatur. Nulla igitur in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec uanitas inest: contraq. omnis ordo, ueritas, ratio, constantia. quaeq. his uacant, ea mentita, & falsa, plenaq. erroris eunt circum terras, infra lunam; quae

omnium ultima est, in terrisq. uersatur. Caelestem ergo admirabilem ordinem, incredibilemq. constantiam, ex qua conseruatio, & salus omnium omnino oritur, qui uacare mente putat, is ipse mentis expertus habendus est. haud ergo, ut opinor, erra uero, si a principio inuestigandae ueritatis huius disputationis principium duxero. Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem uia: censet enim artis maxime proprium esse, creare, & gignere; quodq. in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. atq. hac quidem ratione omnis natura artificiosa est: quod habet quasi uiam quamdam, & sectam, quam sequatur. Ipsius uero mundi, qui omnia complexu suo coeret, & continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex, ab eodem Zenone dicitur consulerix, & prouidenda utilitatum, opportunitatumq. omnium. atq. ut certior

vae suis seminibus quaeque gignuntur, auferuntur, continentur: sic natura mundi omnes motus habet uoluntarios, conatusque, et appetitiones, quas *ὀρμὰς* Graeci uocant; & his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmet ipsi, qui animis mouemur, & sensibus. Talis igitur mens mundi cum sit, ob eamque causam pro-

uidencia appellari recte possit: (Graece enim *νοῦσα* dicitur) haec potissimum prouidet, & in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo eximia pulchritudo sit, atque ornatus.

EXPLANATIO

NEC uero & Eandem diuinitatem Balbus attribuit stellis caelo affixis. **I**NERRANTES & stabiles, & fixae. **N**EC habent & Negant Stoiici stellas aetheri, siue caelo affixas esse, quod animantes eas esse opinantur, & motu uoluntario ferri. **A**ETHERIOS & in aethere. **C**AELO *inhaerentes*, & caelo infixae. **E**A & eiulmodi. **V**I & robore, ac impetu. **C**ONTORQUEAT & simul rapiat, & circumducat. **T**ENVIS & subtilis. **P**ERLUCCENS & transparentis. **A**EQVABILIS & temperato. **S**ECRETAM, & separatam. **L**IBERAM, & expeditam. **P**ERENNES & indeficientes. **V**IM & impetum. **D**INAM & supremam. **S**ENSURVS & cogniturus. **F**ORTVNA & impro-nisus casus: quasi praeter naturae ordinem eueniat. **T**EMERITAS & imprudentia, irrationalitas. **E**R-RATIO, & in constantia, & uariatio. **V**ANITAS & mendacium, falsitas. **O**RDO, & Fortunae contra ponitur, sicut & ueritas uanitati. **H**IS *uacant* & non habent haec, scilicet ordinem, ueritatem, rationem, constantiam: quae quidem ad quattuor mundi partes referuntur. **E**VNT & a supremo gradu declinantes. **A** *principe* & a Zenone, Stoiicae familiae duce. **I**GNEM *esse artificiosum*, & Ignem esse substantiam, ingenio, & peritia praeditam. **P**RO-GREDIENTEM *uia* & ratione ductam ad gignendum. **C**REARE & esse in motu generationis. **G**IGNERE & perficere generationem. **M**AGISTRVM & artificem. **H**AC *ratione* & pari uia. **O**MNIS *natura* & omnes res creatas, & gignentes. **S**ECTAM & distinctam, & propriam disciplinam regulam traditionem ratione rectam. **Q**VAM *sequuntur* & quasi duces. **M**VNDI, & essentiae, substantiae. **S**EQVATVR & imitetur. **C**OMPLEXVM & conglutinatione, contractione. **C**OERCET & constringit. **N**ATVRA & complexio. **C**ON-SVLTRIX & periti consilij. **P**ROVIDA & curatrix, in actione uersans. **G**ETERAE & naturae scilicet particularium. **S**VIS & propriis. **C**ONTINENTVR & constringuntur quasi glutino. **N**ATVRA & complexio. **V**OLVNTARIOS & expeditos, liberos ab omni necessitate, & perturbatione, quam affert obliquus motus, de quo supra dictum est. **C**ONATVS & impetus. *ὀρμὰς* & *ὀρμῶν* Graece, impetum facio, & conatum Latine dicitur, & *ὀρμὴν* appetitio. **E**T *his* & appetitionibus. **C**ONSENTANEAS & conformes. **N**OSMET *ipsi*, & necessitatis regulae suppositi. **E**ST *occupata* & uersatur, & detinetur. **Q**VAM *aptissimus* & ualde idoneus, per illam formam, quae pulcherrima est, & perfectissima. **A**D *permanendum*, & ad perseverandum. **N**ULLA *re egeat*; & nullatenus obnoxius sit necessitatis regulae, unde contrahitur deformitas.

CICERO

DICTVM est de uniuerso mundo: dictum est etiam de sideribus: ut iam propemodum appareat multitudo nec cessantium deorum, nec ea, quae agant, molientium cum labore operoso, ac molesto. non enim uenis, & neruis, & ossibus continentur, nec ijs escis, aut potionibus uescuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec ijs corporibus sunt, ut aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuunt ex defatigatione membrorum. quae uerens Epicurus, monogrammos deos, & nihil agentes commentus est. illi autem pulcherrima forma praediti, purissimaque in regione caeli collocati, ita feruntur, moderanturque cursus, ut ad omnia conseruanda, & tuenda consensisse uideantur. Multae autem aliae naturae deorum, ex magnis beneficijs eorum, non sine causa & a Graeciae sapientibus, & a maioribus nostris constitutae, nominataeque sunt, quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem appellamus, uinum autem Liberum: ex quo illud Terentij, Sine Cerere, & Libero friget Venus. tum autem res ipsa, in qua uis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa nominetur deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas uidemus proxi-

me a M. Aemilio Scauro: ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. uides Virtutis templum, uides Honoris, a M. Marcello renouatum: quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae? Libertatis? Victoriae? quarum omnium rerum quia uis erat tanta, ut sine deo regi non posset; ipsa res deorum nomen obtinuit. quo ex genere Cupidinis, & Voluptatis, & Lubentinae Veneris uocabula consecrata sunt, uitiosarum rerum, neque naturalium: quamquam uelleius aliter existimat: sed tamen ea ipsa uitia naturam uehementius saepe pulsant. Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ij dii, qui utilitates quasque gignebant, atque his quidem nominibus, quae paullo ante dicta sunt, quae uis sit in quoque, declaratur, deo suscepit autem uita hominum, consuetudoque communis, ut beneficijs excellentes uiros in caelum fama, ac uoluntate tollerent. hinc Hercules, hinc Castor, & Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores anguste, sancteque Liberum cum Cerere, & Libera consecrauerunt: quod quale sit, ex mysterijs intelligi potest, sed, quod ex nobis natos liberos appellamus, iccirco Cerere nati nominati sunt, Liber, & Libera: quod in Libero seruant, in Libera non item. hinc etiam Romulus; quem quidam eundem esse

se Quirinum putant. quorum cum remanerent animi, atque aeternitate frueretur, dyrite sunt habiti, cum & optimi essent, & aeterni. Alia quoque ex ratione, & quidem physica, magna fluxit multitudo deorum: qui induti specie humana fabulas poetis suppeditauerunt, hominum autem uitam superstitione omnireferferunt. atque hic locus a Zenone tractatus, post a Cleanthe, & Chrysippo pluribus uerbis explicatus

est. nam uetus haec opinio Graeciam oppleuit, ex-
Etum Celum a filio Saturno, uinctum autem Saturnū
ipsum a filio Ioue. physica ratio non inelegans inclu-
sa est in impias fabulas. caelestem enim altissimam,
aethereamq. naturam, id est igneam, quae per sese om-
nia gigneret, uacare uoluerunt ea parte corporis,
quae coniunctione alterius egeret ad procreandum.

C I C E R O

DICTVM est ἐπιλογισμός, ostendens quo spectarint: haecenus exposita de mundo & sideribus, huc uidelicet, ut dei opera conspicerentur. **NEC cessantium** & non otiosorum. **CVM labore** & Confutatio com-
menti Epicuri de molestia dei, quam ex labore percipiat. Quia membra non habeat defatigationi obnoxia.
OPERO & difficili. **NON enim** & describit qualitatem corporum siderum, quae deos uocat. **ACRES** & te-
nues. **CONCRETOS** & crassos. **CASVS**, & **ictus** & non, inquit, timent cadere, aut offendi. **VERENS** & refor-
midans. **MONOGRAMMI** & lineamenta dumtaxat habentes. *μῶνος* enim Graece solus Latine, & *γραμμῆ* linea:
inde *μονόγραμμα* dicti. **COMMENTVS** est & finxit. **PVLCHERRIMA** & splendidissima. **PVRISSIMA** & te-
nuissima, mundissima. **REGIONE** & parte mundi, quae caelum est. **FERVNTVR** & mouentur. **MODERAN-
TVR** & temperant. **CONSENSISSE** & conuenisse. **MVLTAE aliae** & Haecenus de qualitate caelestium deorum
sive siderum, nunc agit de qualitate hominum, qui magnitudine beneficiorum dii sunt crediti, nam, quod ope
diuina ad usum hominum comparatum esset, id diuino nomine honestabant. **CONSTITVTAE** & propositae.
QVID QUID enim & Dei nomine appellantur homines, & res, quae bonitate, & ui maiore excellent. **BONITA-
TE** & benignitate, ac liberalitate. **NATVM** & productum. **CERERE**, & **libero** & pane, & uino, quibus potissi-
mum aluntur homines. panis praecipuus ex frumento fit. Tradunt id in Sicilia primum inuentum, & femina
tum a Cerere, quae, cum ea inuentione homines maximis curis liberasset, ob id Libera dicta sit hinc Ceres pro
pane ponitur. Simili ratione inuentorem uini Liberum nominarunt, atque eodem nomine uinum intelligunt.
Sublato igitur praecipuo alimento friget, torpescit, nō commouetur libido, quae Veneris nomine significatur,
eo quod ad omnia ueniat, ut paullo inferius exponet Cicero. **TVM autem** & Ponit aliam speciem constituto-
rum deorum. **VIS inest maior** & qualitas omnibus antecellens inest. **Ut FIDES** & quae est ueritas dictorum,
ac fundamentum iustitiae. **MENS** & intelligendi uis. **DEDICATAS** & consecratas. **VIRTVTIS**, **Honoris**, &
Ante erat delubrum Virtutis, deinde Honoris: ut ostenderetur, non patere aditus ad ueros honores, nisi per Vir-
tutem, cuius praemium Honor habetur, & est. **OPIS** & auxiliij. **SALVTIS** & conseruationis in proprio sta-
tu. **CONCORDIAE** & conuenientiae, consensus, & amicitiae. **LIBERTATIS** & liberae conditionis. Liber-
tatis atrium in Auentino fuit exstructum ab Alino Pollione. **VICTORIAE** & adeptiois rei concupitae, &
maxime in bello, cuius finis Victoria est. Militaris enim apparatus omnis eo tendit. **VIS** & potestas. **REGI**
gubernari, & conseruari. **QVO ex genere** & ex simili natura. Dei nomen per abominandum abusum ad res
uitiosas translatum. **CVPIDINIS** & amoris. **VOLVPTATIS** & sensibilis delectationis. **LVBENTINAE Vene-
ris** & Lubentina uocata est Venus, quia libenter uolens prompta, & facilis ueniat ad omnia. **VOCABVLA**, & ap-
pellationes. **VITIOSARVM** & culpabilium. **NEQVE naturalium** & rerum, quas natura recta ratione insti-
tuta non appetit. **PVLSANT** & impellunt, stimulant, excitant, mouent. **QVAEVIS** & quae potestas. **SVSC-
PIT autem** & Ponit nunc Heroes, atq. Semideos. **Vsus** obtinuit, ut uiri benemeriti consecrati sint. **FAMA** & ho-
nore nominis. **VOLVNTATE** & grato studio. **HERCVLES** & qui monstra domuit. **AESCVLAPIVS** & qui corpo-
ribus medendis infudauit. **HVNC dico Liberum** & Iouis filium ex Semele, quem Bacchum dicunt. Vide Ouid.
AVGVSTE & magnifice. **SANCTE** & religiose. **LIBERVVM cum Cerere, & Libera** & id est Soleni cum terra & Lu-
na. Macrobius agens de sole & luna ita refert: Virgilius scribit Liberum patrem Solem esse, & Cererem Lunā,
qui pariter fertilitatibus glebae, & maturandis frugibus, uel nocturno temperamento, uel diurno calore mo-
derantur. Alij autem, qui Cererem terram esse uolunt, solem, & lunam, quia e terra oriri uideantur, Liberum,
& Liberam dicunt. **QVOD quale sit** & hoc est Liberorum diuersitas. **Ex mysterijs** & ex religiosis caerimonijs.
NON transit ad feminas & Ut inde natas appellent Liberas uiros. **Ex mysterijs** & In facris Libero tribuebatur
Viticeus thyrsus pro sceptro, & corona. Ouid. lib. IIII. Metamorph.

Ipse racemiferis frontem circumdatus uuis

Pampineis agitat uelatam frondibus hastam.

QUIRINVM & hasta insignitum. hoc est, regem belligerum. Olim apud Romanos, hasta, quam illi Quirim ap-
pellabant, reges suos insigniebant, & Quirini nomine. Erat enim illis tunc id, quod posterioribus temporibus
Sceptrum, & Corona. Eadem ratione Etrusci, quibus Coris hasta erat, Coritos uocabant reges suos. Ouid. in
Fastis,

Adde, quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis:

Belliger a telo uenit ad astra deus.

SUNT habiti & relati sunt in caelum, in deorum concilium, ubi soluti curis deorum uitam degunt. **CVM &
optimi essent, et aeterni** & Ac si dicat Cicero, Perperam Quirinum appellant Romulum iam in deorum concilium
relatum, ubi nulla inest necessitas, sed in omni perfectione, & aeternitate, solutus curis. At simili errore la-
borarent,

borarent, qui in caelum tollerent Liberum illum, qui pro sole habitus est. ALIA quoque ex ratione: Et alios inquit, deos habuimus fabulosa ratione inductos. RATIONE physica: perferunt motum: & quietem, SYPEDITAVERUNT: subministraverunt. SUPERSTITIONE: uano timore. Hic locus: hoc argumentum de diis fictis. NAM uetus haec opinio: Repetit Balbus uulgatas fabulas, ut deinde remoueat omnem impietatem, quam poëticis sensus induxerat deos detrahendo ad humanam speciem. EXSECTVM: castratum testibus, seu genitalibus priuatum. VINCTVM: colligatum. NON inelegans: ad mundi decorum spectans. IMPIAS: nefarias, & flagitiosas: quoniam filius patrem exsecat, & uincit, quod est contra pietatem, quae debetur parentibus. CAELESTEM enim: Rationem huius commenti aperit Balbus. PER se: sine alterius commissione. EA parte corporis: genitalibus membris.

CICERO

SATURNUM autem eum esse uoluerunt, qui cursum, & conuersionem spatiorum, ac temporum contineret: qui deus Graece id ipsum nomen habet. xpoivos enim dicitur: qui est idem xpoivos. Saturnus autem est appellatus, quod saturretur annis: ex se enim natus comesset fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia, annisq. praeteritis insaturabiliter expletur. Vinctus est autem a Ioue, ne immoderatos cursus haberet, atque ut eum siderum uinculis alligaret. Sed ipse Iuppiter, quem, conuersis casibus, appellamus a iuuan do Iouem, a poëtis pater diuum hominumq. dicitur, a maioribus autem nostris optimus, maximus, & quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus; quia maius est, certe q. gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere. hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens:

Adspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

planiusq. alio loco idem:

Cui, quod in me est, exsecrabor hoc, quo lucet quidquid est. hunc est augures nostri cum dicunt, Ioue fulgente, tonante: dicunt enim, caelo fulgente, tonante. Euripides autem, ut multa praeclare, sic hoc breuiter, Vides sublime fufum, immoderatum aethera;

Qui tenero terram circumuectum amplectitur:

Hunc summum habeto diuum: hunc perhibeto Iouem. Aer autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare & caelum, Iunonis nomine consecratur: quae est soror, & coniux Iouis: quod & similitudo est aetheris, & cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem

eum, Iunoniq. tribuerunt, quod nihil est eo mollius. Sed Iunonem a iuuado credo nominata. Aqua restabat ex terra, ut essent ex fabulis tria regna diuisa. datum est igitur Neptuno alterum, Iouis, ut uolunt, fratri maritimum omne regnum: nomenq. productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis. Terrena autem uis omnis, atque natura Diti patri dedicata est; qui Dis, ut apud Graecos πούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriuntur e terris, rapuit Proserpinam, quod Graecorum nomen est. ea n. est, quae προσειρη Graece nominatur: quam frugum semen esse uolunt; absconditamq. quaeri a matre fingunt. Mater autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam geres: casuq. prima littera itidem immutata, ut a Graecis. nam ab illis quoque δημητηρ, quasi γημητηρ, nominata est. Iam, qui magna uerteret, Mauros; Minerva autem, quae uel minueret, uel minaretur. Cumq. in omnibus rebus uim haberent maximam prima, & extrema, principem in sacrificando Ianum esse uoluerunt: quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones per uiae, Iani, foresq. in liminibus profanarum aedium, ianuam nominantur. Nam Vesta nomen a Graecis. ea est enim, quae ab illisestia dicitur. uis autem eius ad aras, et focos pertinet. itaque in ea dea, quae est rerum cultus intima, omnis et precatio, & sacrificatio extrema est. Nec longe absunt ab hac uis diu penates, siue a peni ducto nomine, (est enim omne, quo uescuntur homines, penus) siue ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poëtis uocantur.

EXPLANATIO

IMMODERATOS: intemperatos, & contra naturam temporis, quod a temperie nomen habere uidetur. In aequinoctijs maxima quidem temperies percipitur. tunc enim sol medium tenet locum inter adscensum, & descensum. At, cum ascendit, aut descendit; magnis aestibus, aut frigidibus laedit quaecumque prioribus temporibus exorta sunt. CONuersis, moderatis: Casibus. Metaphora est elegans a Grammaticis sumpta, illud innuens, Naturam, cum per decliuem, & obliquum motum Saturno tributum, uarios subijisset casus, instar nominis, quod a Grammaticis uariatis casibus inflexum uariat, & modum significandi, erectam fuisse per oppositum motum Ioui tributum: unde pater diuum & hominum dictus est, & optimus maximus. Ambo uero motus Cicero casus nuncupare uidetur ea ratione, qua ad excessum tendere possunt, qualem exemplificauimus de adscensu, & descensu solis. Hinc Euripides sublime fufum immoderatum aethera appellat: sublime inquam, candens, quae inuocant omnes Iouem, ut paulo inferius inquit Ennius. GRATIVS, acceptius, iucundius. PRODESSE hominibus: ex quo optimus dicitur. OPES magnas habere: ex quo dicitur maximus. ENNIUS: in Thyeste. Festus. NUNCUPAT: appellat, ut in principio huius libri dictum est. QVEM inuocant omnes Iouem: Vocat, magis placet. Supra in principio huius libri, & lib. III. PLANIVS: euidentius. IDEM: scilicet Ennius in tragoedia. EXSECRABOR: maledicam. Hoc: sublime candens &c. nimirum ignem in sublimi aere omnia collustrantem. FVSVM: sparsum. IMMODERATVM: in excessu dominantem. TENERO circumuectum: ambitu molli, ac circumfluxibilis aquae, quasi brachio. TERRAM amplectitur: quasi amantem fouens, calido, & humido. hinc Oceanum deorum patrem quidam finxere. AER autem &c. Ratio physica,

phyfica, cur Iunoni aer tribuatur. *SIMILITUDO est aetheris* In aere sublimi, qui caeli nomine saepius nominatur, residens ignis aetherem constituit. proxime succedit duplex aer, unus tenuis, & ualde purus, quem commissum igni Iunonem nominant, alter uero crassus, quem iunctum igni Neptunum uocant. De utroque aere paullo superius Balbus ita meminit: Licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quā illorum, qui utuntur crasso caelo, atque concreto. Cum igitur caelum aeris nomine censeatur, nihilq. aliud sit Iuppiter, siue aether, quam ignis aeri sublimi commissus, sequitur, ut Iuno sit aetheris similitudo, quae ex igni, & tenui aere conflatur a Stoicis. *EFFEMINAVNT* nomina femineo nuncuparunt. *MOLLIVS*, lenius, propter tenuitatem. *VT essent tria regna* De aere locutus est: restabat aqua, & terra, quae tria elementa poetae, inquit, nuncuparunt regna. *DATVM est igitur Neptuno* In praecedenti libro Velleius, cum recenseret, quidnam de natura deorum sentiret Chrysippus Stoicus, de eo ita dixit, Idem disputat aethera esse eum, quem homines Iouem appellarent; quiq. aer per maria manaret, eum esse Neptunum. Quibus ex uerbis dicendum uidetur, ut, quemadmodum Iouis soror Iuno est ignis, atq. aer subtili proximus; ita & eiusdem frater Neptunus sit ignis, atq. aer ille crassus, aquis proximus, & se aliquando immergens. *PORTVNVS* Apud Hyginum ita legitur: Ino cum Melicerte filio suo in mare se praecipitauit: quam Liber Leucotheam uoluit appellari, nos matrem Mautam dicimus: Melicertem autem Palaemonem, quem nos Portunum dicimus. *PAVLLVM primis litteris immutatis* Augmento enim, & accessu litterarum quaedam ad principium nominis Portuni fit Neptunus, quasi natans Portunus. ideo dixit, Nomenq. productum. *TERRENA uis* quae Geres, & Ceres dicitur. *AT QVE natura* uis feminaria, quae Proserpina dicitur Cereris filia. *DITI patri dedicata est* hoc est, Refertur ad Ditem patrem. Est autem Diti Latinis, idem, quod Graecis Pluton, quibus nominibus diuitiarum deus intelligitur. *Is rapuit Proserpinam*, Haerebat antea lector hoc in loco, deprauatione uerborum implicatus, nunc ex Maffei libro correctione adhibita, nemo tam tardus est, qui, uel cursim legens, sensum non percipiat. Haec Paullus pater, *FRVGVM* stirpium, in quibus anima est, illas uegetans quidem, & crescere faciens, sed non de loco ad locum mouens, *CASVQ. prima littera iridem immutata.* Cum Terra a gerendis, siue producendis feminibus diceretur Geres, casu effectum esse ait ut, G, littera eius nominis prima itidem immutata, hoc est figurae dumtaxat alterationem passa, & conuersa in litteram C, casum, ut opinor denotantem, diceretur Ceres. Quidam fabulantur Cererem a Neptuno compressam ob pudorem nigram uestem induisse, & omnem penitus lucem fugisse, atq. in tenebris latitantem, ob iram omnes terrae fructus corrupisse pesteq. passim homines, & animalia omnia confecisse, donec Parcis a Ioue missis iram deponere precantibus placata est. Quidam uero haec referunt ad iram, quam concepit cum cognouisset Proserpinam filiam in Sicilia flores colligentem raptam a Plutone, & curru delatam ad inferos. De ui castus proxime agit, ubi de Mauorte & minuente Minerua, quae quasi alter Mars hastata fingitur, & belligera, unde non mirum est Balbum paullo supra improbasse eos, qui Romulum in caelo existentem Quirinum, hoc est hastatum, nominent. *VIANTQ.* id est terra mater. *MAGNA uerteret* ruere faceret rerum omnium naturam, quae paullo supra talis describitur, ut omnibus praesit. de hac praestantissima natura in hanc sententiam ita inquit Lactantius libro de diuino praemio: Cum caput orbis ceciderit, & *puen* esse coeperit, quod sibyllae fore aiunt, quis dubitet uenisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum? *VERTERET*, si uidejceret ad solitudinem *CVMQ. in omnibus rebus* in rerum omnium natura. *PRIMA & extrema* introitus, & exitus rerum naturalium. habet enim unaquaque res naturalis ortū, & interitum. *PRINCIPEM* omnibus praestantem naturam. *AB eundo* ut ipsa natura, siue Genius, dicatur Ianus, quasi Vianus: hoc est, libere transiens inter prima, & extrema. *TRANSITIONES peruiuae* uiae liberum transitum habentes, hoc est introitum, atque exitū. *IANI dicuntur* quasi ad Ianū pertinentes: hinc bifrons, aut biceps fingitur Ianus, ueluti, qui utrumque speculetur prima, & extrema. *PROFANARVM* non sacrarum. *NAM Vesta* Postquam egit de Principe Iano, hoc est ui naturae libere eunte, nimirum fluente, & refluxente: sequitur de eadem naturali, hoc est de ui stante, quae Vesta dicitur, & Terra. Sed eius uis, inquit Balbus, ad aras, & focos pertinet. De Vesta ita inquit Quid. in Fast.

Vesta eadem est, & terra subest uigil ignis utrique

Significant sedem, terra, focusq. suam.

Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,

Aere subiecto tam graue pendet onus.

Stat ui terra sua ui stando Vesta uocatur,

Causa q. par graui nominis esse potest.

At focus a flammis, & quod fouet omnia dictus

Qui tamen in primis aedibus ante fuit.

Hinc quoq. uestibulum dici reor, unde precamur, &c.

Sunt, qui aedes Vestalium uirginum, quae ignem perpetuo nutriebant, sacras minime fuisse coniecerent, quod, cum ob id tantum sacrarentur aedes, ut ibi populi conuentus promiscuus haberetur, non decuerit, ut populus conueniret ubi essent Vestales, de quarum uirginitate cautum erat. *PRECATIO* directio precum. *EXTREMA est* quoniam poetis diuinam naturam deducuntibus ad humanam formam Terra ultima est inter quattuor gradus rerum naturalium. *PENITVS* intrinsecus. *PENETRALES* quasi loca intima, & extrema insidentes.

C I C E R O

IAM Apollinis nomen est Graecum; quem solem esse uolunt: Dianam autem, & lunam eandem esse putant; cum sol dictus sit, uel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, uel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet; luna a lucendo nomina est. eadem est enim Lucina: itaque, ut apud Graecos Diana, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quae eadem Diana omniuaga dicitur, non a uenando, sed, quod in septem numeratur itaquam uagantibus, Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. adhibetur autem ad parum, quod si mature scunt aut septem non numquam, aut plerumque nouem lunae cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. concinneque, ut multa, Timaeus; qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagrauisse: adiunxit, minime id esse mirandum: quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse uoluisset, abfuisset domo. Quae autem dea ad res omnes ueniret, ueneret nostri nominauerunt: atque ex ea potius uenustas, quam uenus ex uenustate. Videtis ne igitur, ut a physicis rebus, bene, atque utiliter inuenitis, tractatio sit ad commercios, & fictos deos? quae res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentes, & superstitiones paene aniles. et formae enim nobis deorum, & aetates, & uestitus, ornatusque noti sunt: genera praeterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae. nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus. n. deo-

rum cupiditates, aegritudines, iracundias; nec uero, ut fabulae ferunt, bellis, proeliisque caruerunt; nec solū, ut apud Homerū, cum duos exercitus contrarios alij dii ex alia parte defenderēt; sed etiā, ut cum Titanis, ut cum gygantibus, sua propria bella gesserunt. haec & dicuntur, & creduntur stultissime, & plena sunt futilitatis, summaeque leuitatis. sed tamen, his fabulis praetis, ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alij per alia, poterunt intelligi, qui, qualesque sunt, quoque eos nomine consuetudo nuncupauerit, quos deos & uenerari, & colere debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimusque, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & uoce ueneremur. non enim philosophi solum, uerum etiam maiores nostri superstitione a religione separauerunt. nam, qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, supersticiosi sunt appellati. quod nomen postea latius patuit, qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, ut elagentes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. his enim in uerbis omnibus inest uis legendi eadem, quae in religioso. ita factum est in supersticioso, et religioso, alterum uerbi nomen, alterum laudis. Ac mihi uideor satis, & esse deos, & quales essent, ostendisse.

EXPLANATIO

TANTVS & tam magnus. **IN septem** & in numero septem planetarum. **MATVRESCVNT** & perficiuntur. **QVI** & cursus lunae. **MENSA** & terminata. **TIMAEVS** & historicus fuit Taurominitanus. est autem Taurominium litorale opidum Siciliae. **DIANAEPHESIAE** & Ephesus urbs est Ioniae clara templo Dianae, quod auctore Strabone Heroftratus quidam incendit, ut tam insigni facinore nomen sibi compararet: quod ei non successit. nam, ut scribit Eustathius, diras instituerunt Ephesij in illum, qui Herofstratum nominasset, ut perpetua caligine tegetetur nomen illius. **ADRESOMNES** & ad procreationem rerum omnium. Venus Graeci *αφροδίτη* dicitur, hoc est spuma, & Ditis hoc est uis genitalis, in formam spumae commutata. Ferunt enim Saturnum Caeli patris genitalia abscidisse: ex quibus in mare proiectis, & in formam spumae exagitatione maris commutatis orta sit Venus. **VENUSTAS** & gratia formae. **VIDETISNEIGITUR** & Poeticus sensus, inquit Balbus, superstitiones mundo induxit. **FRACTARATIO** sit & diuerterint homines. **ERRORES** & motus uarios. **ANILES** & deliris uetulis conuenientibus. **FORMAE** & figurae nobis similes, quae naturae diuinae non conueniunt. pari ratione dicendum est de natalibus, cognatione, affectibus. **ORNATVS** & uarii cultus formatum. **PERTVRBATS** & ualde turbatis, commotis. **AEGRITVDINES** & maerores. **APVDHOMERUM** & Iliade V. Iuno, Minerua, Neptunus, Vulcanus, & Mercurius, Graecis, Venus uero, & Apollo, Diana, Mars &c. Troianis opitulatur. **CONTRARIOS** & hostiles, Graecum scilicet, & Barbarum. ut in Iliade fingit Homerus. **PROPRIA** & peculiaris. **STULTISSIME** & imprudentissime. **FUTILITATIS** & inconstantiae. **SEDTAMEN** & Conclusio secundae partis. **PERTINENS** & transiens. **QVI** & cuius substantiae. **QVALES** & cuius efficaciae. **CONSVETVDO** & recta ratione introducta. **CVLTVS** & caerimoniae. **CVLTVSAUTEMDEORVM** & Cultus deorum qui optimus. **CASTISSIMVS** & purissimus. **SANCTISSIMVS** & religiosus. **INTEGRA** & tota perfecta. **MAIORESNOSTRI** & patres Romani. **PRECABANTVR**, & *immolabant* & orationes, & sacrificia dirigebant. **PATVITLATIUS** & nam altero sensu supersticiosus dicitur, qui uana religione tenetur. **DILIGENTER** & discrete, & pie. **RELEGERENT**, & hoc est opposito sensu legere impia, & impura, quae de dijs poetae tradunt. **EXRELEGENDO**, & Sunt qui a relegendo religiosum dicitur, uelint, quippe, qui per sanctitatem se releger, ac separet ab alijs: sunt etiam, qui a religando, quoniam pietatis uinculo religetur deo. Sed Ciceronis iudicio scidum uideatur, in his maxime, quae ad linguae Latinae cultum, & uocabulorum etymologiam pertinent.

C I C E R O

PROXIMUM est, ut doceam, deorum providentia mundum administrari. magnus sane locus, & a uestris, Cotta, vexatus: ac nimirum uobiscum omne certamen est. nam uobis, Vellei, minus notum est, quæ admodum quidque dicatur. uestra enim solum legitis, uestra amatis: ceteros, causa incognita, condemnatis. uelut a te ipso besterno die dictum est, anum fatidicam ^{πρόνοια} a Stoicis induci, id est providentiam. quod eo errore dixisti, quia existimas ab his providentiam fingi, quasi quandam deam singularem, quæ mundum omnem gubernet, & regat. sed id præcise dicitur. ut, si quis dicat Atheniensium remp. consilio regi, desit illud, Ariopagi: sic, cum dicimus providentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum. plene autem, & perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari. ita salem istum, quo caret uestra natio, in irridendis nobis nolite cõsumere. & mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. non decet: non datum est: non potestis. nec uero hoc in te unum conuenit, moribus domesticis, ac nostrorum hominum urbanitate limatum; sed cum in reliquos uestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine litteris, insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore. Dico igitur, providentia deorum mundum, & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari. Eamque disputationem tres in partes nostrum fere diuidunt. quarum pars prima est, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet esse deos: quo concesso confitendum est eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet omnes res subiectas esse naturæ sentienti, ab eaque omnia pulcherrime geri: quo constituto, sequitur ab animantibus principis eam esse generatam. Tertius locus est, qui ducitur ex admiratione rerum caelestium, atque terrestrium. Primum igitur, aut negandum est deos esse; quod & Democritus, simulacra, & Epicurus, imagines inducens, quodam pacto negat: aut, qui deos esse concedant, ijs fatendum est, eos aliquid agere, idque præclarum. nihil est autem præclarior mundi administratione: deorum igitur consilio administratur mun-

dus. quod si aliter est; aliquid profecto sit, necesse est, melius, & maiore uis praeditum, quam deos, quale id cuique est, siue inanima natura, siue necessitas uis magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens, quæ uidemus. non est igitur natura deorum præpotens, neque excellens; siquidem ea subiecta est ei uel necessitati, uel naturæ, qua caelum, maria, terræque, regantur. nihil autem est præstantius deo: ab eo igitur necesse est mundum regi. nulli igitur est naturæ oboediens, aut subiectus deus: omnem ergo regit ipse naturam. etenim, si concedimus, intelligentes esse deos; concedimus etiam, providentes, & rerum quidem maximarum. ergo utrum ignorant, quæ res maxime sint, quoque hæc modo tractandæ, & tuendæ; an uim non habent, quæ tantas res sustineant, et gerant? at et ignoratio rerum aliena naturæ deorum est; & sustinendi muneri propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem deorum, ex quo efficitur id, quod uolumus, deorum providentia mundum administrari. at qui necesse est, cum sint dii, si modo sint, ut profecto sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed etiam rationis compotes, inter seq. quæ si ciuili conciliatione, & societate coniunctos, unum mundum, ut communem remp. atque utrem aliquam regentes. sequitur, ut eadem sit in his, quæ in genere humano, ratio, eadem ueritas utrobique sit, eademque lex: quæ est recti præceptio, prauique depulsio. ex quo intelligitur, prudentiam quoque, & mentem ad deos ad homines peruenisse: ob eamque causam maiorum institutis mens, fides, uirtus, concordia, consecratae, & publice dedicate sunt. quæ, qui conuenit, penes deos, negare; cum eorum augustia, & sancta simulacra ueneremur? quod si inest in hominum genere mens, fides, uirtus, concordia: unde hæc in terras, nisi a superis, defuere potuerunt? cumque sit in nobis consilium, ratio, prudentia; necesse est deos hæc ipsa habere maiora, nec habere solum, sed etiam his uti in maximis, & optimis rebus. nihil autem est nec maius, nec melius mundo: necesse est ergo eum deorum consilio, & providentia administrari.

EXPLANATIO

DEORVM providentia mundum administrari: ? Haec est tertia pars eorum, quæ Balbus disputanda proposuit. **MAGNVS locus**, ? ampla quaestio. **A uestris**, ? Academicis. **VEXATVS**: ? in ambiguum reuocatus. **VOBIS** ? Epicureis. **QUIDQUE** ? quaecumque res proposita. **VESTRA enim** ? Notatur Epicuri *φιλανθία*, id est amor sui ipsius, nihil nisi quod ipse sentit, aut dicit rectum putans, & alios causa incognita condemnans. **CAUSSA incognita** ? non intellecta re proposita, & disputata. **BESTERNO die** ? primo scilicet libro de natura deorum. **ANVM fatidicam** ? uetulam praesagam. **Id est providentiam**. ? Interpretatio Graeci uerbi *πρόνοια*, Ciceroni sine causa, ut opinor, attributa. **GUBERNET**, ? actu. **REGAT**. ? consilio. **PRAECISE** ? im perfecte. **AREOPAGI** ? curiae Atheniensis, & senatus Areopagus erat locus eminens e regione ad arcem Athenarum, ubi publicae curae gerebantur. Inde Areopagitae senatores dicti. Nomen ductum est a Marte, & paggo, quasi uicus Martis. **SALEM istum** ? facetam decisionem. Insultas Epicuri, ad iocandum non minus inepti, quam ad differendum. Consumere salem in irridendis alijs, est false reprehendere, aut insectari. Plinius agens de sale, dicit: Omnis uitae lepos, & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis uocabulo constat. **NATIO** ? familia, secta. **NON decet** ? non conuenit cuiquam. **NON datum est**: ? scilicet a nobis. **NON potestis**. ? uos, inquit, ignari, rudes, & sale carentes non potestis facere deridere Stoicos. **Hoc** ? nimirum, ut derideas nos. **MORIBVS domesticis**, ? patrijs tuis moribus. erat enim Lanuuius. **NOSTRORVM hominum** ? Romanorum.

manorum. LIMATVM & eruditum, expositum. CVM & partim. PEPERIT & auctor fuit istius dogmatis. no-
tatur Epicuri inscitia. SINE arte & Dialectices ignarum. SINE litteris & Grammatices ignarum. INSVLTAN-
TEM & deridentem. SINE acumine & hebetis ingenij. SINE auctoritate & absque ratione aliqua id compro-
bante. SINE lepore & sine gratia, & concinnitate. DICO igitur & Assueatio de Providentia. CONSTI-
TUTAS & politas. TRES in partes & Diuisio disputationis de Providentia. PVLCHERRIME & hone-
stissime. CONSTITVTO & posito, & confirmato. ANIMANTIBVS principijs & habentibus animam. SI-
MVLACRA & similitudines quasdam ueluti umbras. IMAGINES & lineares figuras. QVODAM pacto & ali-
quo modo. AVT, qui deos & Complexio, siue dilemma certum est, dei consilio mundum gubernari. nam, si est
mundum administrat. Si uero non est, aliquid deo dignus, & potentius sit necesse est, cum autem nihil sit prae-
stantius deo, sequitur, deum regere mundum, nec regi ab alio. PRAECLARVM, & ualde euidentis est. Si aliter
est: hoc est, nisi deorum consilio administraretur. SIVE necessitas & Ita uocant Stoici irracionales motus. VI-
tura pareat necessitati, quod quidem absurdum, ac deforme esset. ET ENIM & a cognitione, & omnipotentia
deorum, probat mundum administrari providentia. Argumentum, aut deus administrat mundum, aut per igno-
rantiam, & imbecillitatem non potest, sed ignorantia, & imbecillitas in deum non cadit, igitur gubernat mun-
dum. ATQVI necesse est & Probat in dijs esse eximiam rationem, & excellentissimam prudentiam, cum ab ip-
sis ad homines desuixerint ratio, & prudentia. Argumentum. Mentis officia sunt intelligere, providere, & actio-
nes maximas, & optimas gubernare, in deo est mens sine ratio, & quidem maior, quam in ullo homine. Igitur
dei consilio, & providentia gubernatur mundus maximus, & optimus.

C I C E R O

POSTREMO, cum satis docuerimus hos esse deos,
quorum insignem uim, & illustrem faciem uide-
remus, solem dico, & lunam, & uagas stellas, & in-
errantes, & caelum, & mundum ipsum, & earum
rerum uim, quae inest in omni mundo cum magno
usu, & commoditate generis humani: efficiunt, om-
nia regi diuina mente, atque providentia. Ac de pri-
ma quidem parte satis dictum est. sequitur, ut doceam,
cui subiecta esse naturae, eaq. ab ea pulcherrime regi.
sed, quid sit ipsa natura, explicandum est ante breui-
ter, quo facilius id, quod docere uolumus, intelligi pos-
sit. Namque alij naturam esse esse uim quandam si-
neratione, cientem motus in corporibus necessarios:
alij autem, uim participem rationis, atque ordinis,
tamquam uia progredientem, declarantemque, quid
cuiusque rei causa efficiat, quid sequatur, cuius sol-
lertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conse-
qui possit imitando: seminis enim uim esse tantam, ut
id, quamquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in
conspicientem, comprehendat eamq. naturam, natumq.
sit materiam, qua ali, augeriq. possit, ita fingat, & effi-
ciat in suo quidque genere, partim ut tantummodo
p. stirpes alatur suas, partim ut moueri et, & sentire,
& appetere possint, & ex sese similia sui gignere. Sunt
autem, qui omnia naturae nomine appellant, ut Epi-
curus; qui ita diuidit, omnium, quae sint, naturam esse,
corpora, & inane, quaeq. his accidant. sed nos cum
dicimus naturam constare, administrariq. mundum, no-
ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut
aliquid eiusmodi nulla cohaerenti natura, sed ut arborē,
ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo appa-
ret, & artis quaedam similitudo. quod si ea, quae a
terra stirpibus continentur, arte naturae uiuunt, &
nigunt: profecto ipsa terra eadem ui continetur, & ar-
te naturae, quippe, quae grauidata seminibus omnia
pariat, & fundat ex sese, stirpes amplexa alat, & au-
geat, ipsaq. alatur uicissim a superis, externisq. natu-

ris. eiusdemq. expirationibus aer alitur, & aether,
& omnia sidera. ita, si terra natura tenetur, & ui-
get; eadem ratio reliquo mundo est. stirpes enim ter-
rae inhaerent: animantes autem a spiratione aeris su-
simuntur: ipseq. aer nobiscum uidet, nobiscum audit,
nobiscum sonat: nihil enim eorum siue eo fieri potest.
quin etiam mouetur nobiscum: quacumque enim imus,
quacumque mouemur, uidetur quasi locum dare, &
cedere. quaeq. in medium locum mundi, qui est infi-
mus, & quae a medio in superum, quaeq. conuersio-
ne rotunda circum medium feruntur, ea continen-
tem mundi efficiunt, unamq. naturam. & cum quat-
tuor sint genera corporum, uicissitudine eorum mun-
di continuata natura est. nam ex terra aqua, ex
aqua oritur aer, ex aere aether: deinde retrorsum
uicissim ex aethere aer, ex aere aqua, ex aqua
terra infima. sic naturis his, ex quibus omnia con-
stant, sursum, deorsum, ultro, citroq. commean-
tibus, mundi partium coniunctio continetur, quae
aut sempiterna sit, necesse est, hoc eodem orna-
tu, quem uidemus; aut certe per diuturna, permanens
ad longinquum, & immensum paene tempus. quorum
utrumuis sit; sequitur, natura mundum administra-
ri. quae enim classium nauigatio, aut quae instructio
exercitus, aut rursus (ut ea, quae natura efficit, con-
feramus) quae procreatio uitae, aut arboris, quae
porro animantis figura, confirmatioq. membrorum
tantam naturae sollertiam significat, quantam ip-
se mundus & aut igitur nihil est, quod sentiente na-
tura regatur: aut mundum regi constituendum est.
etenim, qui reliquas naturas omnes, earumq. se-
mina contineat, qui potest ipse non natura administrari?
ut, si quis detes, et pubertate natura dicat existere, ip-
sum aut hominem, cui ea existant, non constare natu-
ra; non intelligat ea, quae efferant aliquid ex sese, per-
fectiorem habere naturam, quam ea, quae ex ijs ef-
ferantur.

EXPLANATIO

POSTREMO ꝛ a collatione munerum probat omnia regi diuina mente, & prouidentia. Argumentum, Cuius ui praesentia, & insignia comoda omni e parte conspiciuntur, & sentiuntur, ab eo administrari mundum necesse est, sed ui Dei ubique commoditates infinitae proficisci conspiciuntur, & sentiuntur, Igitur a Deo administrari mundum necesse est. **SEQVITVR** ꝛ Secunda pars disputationis de Prouidentia. **NAMQVE** alij ꝛ Quorundam sententias de natura Balbus proponit: & quid de ea senserint Stoici ultimo loco aperit, simul ostendens, quid sit, mundum natura constare & administrari. **QVOD** sequatur ꝛ hoc est, ad quem finem tendat. **CONSEQUI** ꝛ attingere, perfecte imitari. **NATURAM** concipientem ꝛ aptam conceptibus. **MATERIAM** ꝛ subiectam. **QVA** ali, auerig, possit ꝛ quasi ignis lignea materia disposita ad combustionem. **ITA** fingat ꝛ sic formet. **HIS** ꝛ corporibus, & inani. **NATURA** constare, ꝛ Natura constare, & administrari mundum est ordine certo regi. **NULLA** cohaerendi natura ꝛ quod inquit, constet nullo tamen certo ordine cohaereat terrae, ut gleba, aut fragmentum lapidis. **SED** ut arborem, & c. ꝛ Intelligimus inquit naturam esse uim constante in ordine & artificio. **ARTIS** ꝛ uiae, rationis. **ARTE** naturae, ꝛ Stirpes arte, id est ui ordinata naturae suae uiuunt, & uigent. **GRAVIDATA** ꝛ terrae natura. **AER** nobiscum uidet ꝛ Protopopoeia Stoica, & confusio caularum. **QVASI** locum ꝛ receptaculum. **QVAEQVE** ꝛ quaecumque res. **IN** medium locum mundi ꝛ ad centrum mundi feruntur, quod est terra. **A** medio in superum ꝛ a centro, ad superiorem ambitum, hoc est ad caelum. **EFFICIUNT** ꝛ constituunt, componunt, integrant, informant ordine quodam & arte naturali. **CONTINENTEM** ꝛ quasi glutino. **VNAM** ꝛ unicam, praestantissimam. natura enim omnibus praest elementis. **CORPORVM** ꝛ quae elementa mundi dicuntur, ex quibus omnia gignuntur. **VICISSITVDINE** ꝛ una cum mutatione eorum corporum per uices facta. **CONTINVATA** est. ꝛ habuit partium coniunctionem, & cohaerentiam. **QVAE** ꝛ continuatio, siue coniunctio. **VT** sit ꝛ quamuis sit. **NATURA** ꝛ uniuersa scilicet, quae & mundus dicitur. **MUNDVM** ꝛ partes mundi: ut paulo inferius se ipsum declarat Balbus. **IPSE** mundus ꝛ cuius forma nobilissima est. **AVT** igitur ꝛ Ex partium enumeratione concludit, Omnes mundi partes a natura reguntur, Igitur & mundus. **ETENIM** ꝛ ratio, quare sentiendum ita sit. **QVI** potest ꝛ quomodo potest. **VT** si quis ꝛ similitudine probat absurdum esse si aliter putetur, & aestimetur. **PVBERTATEM** ꝛ primam lanuginem, quae ab anno quarto decimo pullulat. **EFFERANT** aliquid ex sese, ꝛ creent, & gignant aliquid ex sese. Argumentum ex collatione causarum, & effectuum. Causa est perfectior effectu, Mundus est causa siue seminator, & parens omnium rerum, Igitur est perfectior rebus effectis.

CICERO

OMNIUM autem rerum, quae natura administratur, seminator, & sator, & parens, ut ita dicam, atque educator, & altor est mundus: omniaque sicut membra, & partes suas, nutricatur, & continet. quod si mundi partes natura administratur, necesse est mundum ipsum natura administrari: cuius quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. ex ijs enim naturis, quae erant, quod effici potuit optimi, effectum est. doceat ergo aliquis potuisse melius. sed nemo umquam docebit: & si quis corrigere aliquid uolet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit. quod si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum melioris potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: uideamus, utrum ea fortuita sint, an statu, quo cohaerere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaque prouidentia. Si ergo meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt; nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidem rationis expertis est habenda. qui igitur conuenit, signum, aut tabulam pictam cum adspexeris, scire adhibitam esse artem: cumque procul cursum nauigij uideris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moueatur: aut, cum solarium uel descriptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare? quod si in Scythiam, aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris no-

ster efficit Posidonius, cuius singulae conuersiones idem efficiunt in sole, & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriuntur, & fiunt omnia, casu ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione, an mente diuina: & Archimedes arbitrantur plus ualuisse in imitandis sphaerae conuersionibus, quam naturam in efficiendis, praesertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam haec simulata, sollertius. Atque illo apud Attium pastor, qui nauem numquam ante uidisset, ut procul diuinum, & nouum uehiculum argonautarum e monte conspexit, primo admirans, & perterritus hoc modo loquitur:

tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti sonitu, & spiritu:
Prae se undas uoluit: uertices ui suscitatur:
Ruit prolapsa: pelagus respergit: restat:
Ita dum interruptum credas nimbium uoluer,
Dum quod sublime uentis expulsum rapi
Saxum, aut procellis, uel globosos turbines
Existere ietos undis concursantibus,
Nisi quas terrestres pontus strages conciet;
Aut forte Triton fuscina euerrens specus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad caelum uomit.
dubitatur primo, quae sit ea natura, qua cernit ignota:
idemque iuuenibus uisis, auditoque nautico cantu, sic:
Sicut

Sicut inciti atque alacres rostris perfremunt
Delphini
Siluani melo
Consimilem ad aures cantum, & auditum refert.
Ergo, ut hic primo ad spectu inanimi quiddam, sensuq.
uacuum se putat cernere; post autem signis certiori-
bus, quale sit id, de quo dubitauerat, incipit suspica-
ri: sic philosophi debuerunt, si forte eos primus ad spe-

ctus mundi conturbauerat, postea, cum uidissent mo-
tus eius finitos, & aequabiles, omniaq. raris ordini-
bus moderata, immutabiliq. constantia, intelligere
in esse aliquem non solum habitatorem in hac caele-
sti ac diuina domo, sed etiam rectorem, & modera-
torem, & tamquam architectum tanti operis, tan-
tiq. muneris.

EXPLANATIO

SEMINATOR & femina terrae mandans, feminalem enim uim habet in se mundus. SATOR & plantator:
Vnde Horatius in I. Carm. inquit,

Nullam Vate prius sacra uite teneris arborem.

PARENS & generator. VT ita dicam, & innuit mundum translatione quadam dici, seminatore, fatorem,
parentem, educatorem, & altorem. MVNDVS: quem Stoici dicunt uniuersam naturam, atque deum. NV-
TRICATVR & fouet nutriciae more. Ex *ijs naturis* mundi partibus, siue principijs naturae insitis, & per
eam existentibus. EFFECTVM est? ui efficientis, quae superiorem obtinet gradum in quattuor partibus mū-
di. ET, si quis? Totum hoc mundi opificium sic est fabricatum, nihil ut corrigi, atque desiderari possit.
Eo statu & ea condicione. SENSU moderante? cui innituntur diuinae rationis, seu artis correctores. Si
ergo meliora sunt? Argumentum aliud ex collatione naturae & artis: Ars nihil agit sine ratione, naturae opera
sunt meliora quam artis. Igitur natura non agit absque ratione. ARTE? istorum scilicet diuinae arti detrahentium.
QUI igitur conuenit, & quomodo conuenit, Absurdum est, inquit, creaturis artem tribuere, & creato-
rem rationis, & artis expertem putare. SOLARIVM? horologium. VEL descriptum? gnomone scilicet ad
umbram solarium radiorum monstrante horas. Ex aqua? lapsu suo ex uase forato, quod Clepsydra dicitur,
tempus, atq. horas distinguente, per lineas uas ipsum ambientes. Plinius ait, Princeps Romanis solarium ho-
rologium statuisse ad aedem Quirini Papirius Cursor traditur. Scipio Nasica primus aqua diuisit horas aequae
noctium, ac dierum, idq. horologium sub tecto dicitur. CONTEMPLARE, & sensus est: Aut qui conuenit,
cum Romani contemplantur solarium, uel descriptum, aut ex aqua, intelligere horas arte declarari, non ca-
su; mundum autem &c. ac si dicat absurdum est, & irrationabile. QVOD si in Scythiam, aut in Britanniam?
Scythas, & Britannos quasi toto orbe separatos, pro rudibus nationibus, & ceuferis posuit. His exemplis de-
claratur ratione mundum regi cum talia sint eius opera, ut sine ratione fieri non possint. IN quinque stellis
errantibus? quae Soli, ac Lunae reliquae sunt de errantium numero. IN illa barbarie? In illis nationibus
ab omni profus arte remotis, & incultis. ARCHIMEDEM in imitandis sphaerae conuersionibus? Hic ueluti
deus terrenis mechanicis artificio sphaeram fecit aeriam, ut Lactantius; sine uitream, de qua Claudianus in
his uersibus:

Iuppiter in partu cum cerneret aethera uitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:

Hucine mortalis progressa potentia curae?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.

Iura poli, rerumque fidem, legesque deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.

Inclusus uarijs famulae spiritus astris,
Et uiuum certis motibus urget opus.

Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.

Iamq. suum utoluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.

MVLTI partibus & pluribus rationibus. SIMVLATA? ad similitudinem facta. SOLLERTIVS? studiosus, ar-
te solito maiore. ATQVE ille apud Attium pastor? Exemplo poetico ex Argonauticis Attij poetae tragici
ostendit Balbus admirationem peperisse naturae perscrutationem. VEHICVLVM? Argo nauim illam cele-
brem, Palladis arte compactam, & elaboratam, quam Valerius Flaccus fatidicam ratem appellauit. De ea ita
Apollonius in IV. Argonauticorum: Illico clamauit humana uoce cauae nauis uocale lignum, quod in me-
dia carina e fago Dodonidae Pallas aptauit. Sic Argo clamauit sub tenebris &c. Sunt, qui Argi nomine cae-
lum stellarum luce distinctum intelligant, ita uocatum a candore, & uelocitate. SONITVS, & spiritus? Qui pro,
Spiritu, Legere malunt, Streptu, non animaduertunt uersum claudicare. Hunc autem uersum & alios con-
sequentes omnes senarios recitat Priscianus in lib. de comicis metris. Haec Paullus pater. VERTICES? un-
das in se reductas. RVIT? Ita Virgil. Et spumas salis aere ruebant. NIMBYM? caliginosam, & grauidam
aquis nubem separatam, & turbine inuolutam. TRITON? maris numen, tubicen Neptuni. FVSCINA? tri-
dente, ac Neptunio scepro. SICVT inciti, atque alacres rostris perfremunt? Metire uersum pedibus: ui-
tium deprehendes: quod mutatione parua tollitur, si pro, Sicut inciti, Leges, Sicuti citi, uel, Vt inciti. Haec
Paullus pater. CRTI, atque alacres Delphini? Velocissimum omnium animalium, inquit Plinius, non solum
mari-

marinorum est delphinus, sed ocior uolucres, acrior telo, cum fame concitati fugientem in uada ima persecut piscem diutius spiritum continere, ut arcu emissi ad respirandum emicant, tantaq. ui exsiliunt, ut plerumq. uela nauium transuolent. MELOꝝ suauis cantilena, qua utitur Siluanus siluarum & pastorū numen, Eius nulla est mentio apud Graecos, nisi apud Pelasgos, qui in Italiam antiquitus migrarunt, ut lib. IIX. testatur Virgilius in his:

Silvano fama est ueteres sacrasse Pelasgos

Aruorum, pecorūq. deo lucumque, diemque:

Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

ERGO, ut hic ꝛ Accommodatio exempli ad philosophos. RATIOꝝ ordinibus ꝛ certa lege prouidentia. INTELLIGERE inesse ꝛ Ex contemplatione mundi Deus cognoscendus.

C I C E R O

NVNC autem mihi uidentur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas caelestium rerum, atque terrestrium. Principio enim terra, sita in media parte mundi, circūfusa undique est hac animabili, spirabiliq. natura, cui nomen est aer, Graecum illud quidem, sed receptum iam tamen usu a nostris: tritum est enim pro Latino. hunc rursum amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis ignibus. mutemur hoc quoque uerbum, dicaturq. tam Aether latine, quam dicitur Aer: etsi interpretatur Patunius,

Hoc, quod memoro, nostri caelum, Graeci perhibent aethera.

quasi uero non Graecus hoc dicat. at Latine loquitur. si quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. docet idem alio loco,

Graugena de isto aperit ipsa oratio.

sed ad maiora redeamus: Ex aethere igitur innumera biles flammac siderum exsistunt: quorum est princeps sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior, atque amplior, quam terra uniuersa: deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis, atque bitanti ignes, tamq. multi non modo nihil nocent terris, rebusq. terrestribus, sed ita profunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus, moderatione, & temperatione sublata. Hic ego non miror esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida, atque indiuidua, ut et grauitate ferri, mundumq. effici ornatissimum, et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? hoc qui existimat fieri potuisse; non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & uiginti formae litterarum uel aureae, uel quales libet, aliquo coniungantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut de-

inceps legi possint, effici: quod, nescio, an ne in uno quidem uersu possit tantum ualere fortuna: isti autem quemadmodum asseuerant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam πείρατα Graeci uocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum? uel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? quod si mundum efficere potest concursus atomorum; cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, & multo quidem facilliora. certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem caeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse uideantur. praecclare ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent, bonis, & illustribus domicilijs, quae essent ornata signis, atque picturis, instructaq. rebus ijs omnibus, quibus abundant ijs, qui beati putantur; nec tamē existant umquam supra terram, accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam numen, et uim deorum; deinde, aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, et maria, caelumq. uidissent; nubium magnitudinem, uentorumq. uim cognouissent; adspexissentq. solem, eiusq. tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognouissent; quod is diem efficeret, toto caelo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, lunaeq. luminum uarietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumq. omnium ortus, & occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesq. cursus: haec cum uiderent, profecto et esse deos, & haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.

EXPLANATIO

NVNC autem ꝛ notat Balbus hebetudinem eorum, qui animo non aduertant excellentiam rerum caelestium, quam oculis cernunt. NE suspicari ꝛ ne leuiter quidem cogitare. PRINCIPIO enim ꝛ Ordo, & continuatio mundo secundum partes. MUNDI ꝛ uniuersae naturae. IMMENSVS aether ꝛ sublimis, & incomprehensus aer, siue caelum, proxime ambiens igne, atque constituens aetherem illum sublimem, quem inuocant omnes Iouem. Ex altissimis ignibus ꝛ Ignis unus est, in sublimi tamen aere Iuppiter in aere crasso Neptunus, in aere intermedio puro, ac lucido Iuno. Cum igitur inquit, ex altissimis ignibus constare immensum aethera, unicum esse ignem concludit, sed ipsa pluralitate communicabilem innuit. Hinc est, quod paullo supra dixit Iunonem Iouis sororem, & coniugem, esse similitudinem aetheris, nempe Iouis, & cum eo ipso aethere summam habere coniunctionem. NOSTRI ꝛ Romani scilicet, quorum sermone utebatur ipse Pacuuius, Graecarum rerum interpres. DE isto ꝛ caelo. Haec erant uerba Pacuuij ostendentis Aethera dici Caelum Latine. QUORVM sol est princeps ꝛ Plinius de planetis, Quorum medius, inquit, sol fertur amplissima magnitudine, ac potestate, nec temporum modo, terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, caeliq. rector.

MVL.

MULTIS partibus maior, & longe maior. **IMMENSIS**, & Stellae fixae innumerabiles quidem sunt, sed dimensionem tamen habent, siue magnitudinem certam. sic dicimus etiam terram, aerem, mare immensum. **TEMPERATIONE sublata**, & sic condita astra sunt, ut alia calefaciant, alia humectent, ut Sol, & Luna, quorum alter alterius ardorem sic mitigat, & temperat, ut rebus nascentibus conueniat, & proficit. Hic ego non & Refutatio atomorum Epicuri, ex quarum concursu fortuito somniat mundos innumerabiles effici. In hac parte, inquit, mirari par est eorum hebetudinem, qui dixerunt haec esse fortuita, & atomorum concursu temerario effecta: quo nihil obtusius excogitari posset. **FORMAE litterarum**, & Argumentum a simili. **CVR porticum**, & Argumentum a minori parte. Ex atomis ne domus quidem effici potest, nedum mundus. **QVI locus est proximus**, & hoc est, iunctus parti secundae, de qua disseritur: omnia scilicet subiecta esse naturae sentienti. sic enim paulo supra, diuidendo proposuit. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione reru caelestium, atque terrestrium. Connectit ergo Balbus has partes citra transitionem aliquam, & distinctionem. **PRAECLARE Aristoteles**, & Exemplum ex Aristotele de hominibus sub terra habitantibus. **INSTRVCTA**, & abundante, culta, honestata.

C I C E R O

ATQVE haec quidem ille. nos autem tenebras cogitemus tantas, quanta quondam, eruptione Aetnaeorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, ut per bidduum nemo hominem homo agnosceret: cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut renixisse sibi uideretur, quod si hoc idem ex aeternis tenebris contingeret, ut subito lucem adspiceremus; quatenam species caeli uideretur? sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi: neq. admiratur, neq. requirunt rationes earu reru, quas semp uidet: pinde quasi nouitas nos magis, quam magnitudo rerum, deat ad exquirendas causas excitare. quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamq. omnia inter se connexa, & apta uiderit, neget in his ullam inesse rationem, eaq. casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio a se qui possumus? An, cum machinatione quadam moueri aliquid uideamus, ut sphaeram, ut hora, ut alia per multas non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moueri, uertiq. uideamus, constantissime conficientem uicissitudines anniuersarias, cum summa salute, & conseruatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, diuinaq. ratione? Licet enim iam, remota subtilitate disputandi, oculis quodam modo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas diuina prouidentia dicimus constitutas. Ac principio terra uniuersa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, uestita floribus, herbis, arboribus, frugibus.

quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili uarietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum uersutus uiridissimos, speluncarum coeuaus altitudines, saxorum asperitates, impudentium montium altitudines, immensitatesq. camporum. Adde etiam receditas auri, argentiq. uenas, infinitamq. uim marmoris. Quae uero, & quam uaria genera bestiarum, uel cicurum, uel ferarum? qui uolucrum lapsus, atque catus? qui pecudum pastus? quae uita siluestrium? quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate uastari; quorumq. operibus agri, insulae, litora q. collucet, distincta relictis, & urbibus. quae si, ut animis, sic oculis uidere possemus; nemo, cunctam intuens terram, diuina ratione dubitaret. At uero quanta maris est pulchritudo? quae species uniuersi? quae multitudo, & uarietas insularum? quae amoenitates orarum, et litorum? quot genera, quamq. disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inbaerentium? ipsum autem mare sic terram appetens litoribus cludit, ut una ex duabus naturis conflata uideatur. Exinde mari finitimus aer, die, & nocte distinguitur: isq. tum susus, & extenuatus in sublime fertur: tum autem concretus in nubes cogitur; humoremq. colligens terram auget imbribus; tum effluens huc & illuc uentos efficit. idem annuus frigorum, & calorum facit uarietates: idemq. & uolatus alitum sustinet, & spiritum ductus alit, & sustentat animantes.

EXPLANATIO

NOs autem tenebras, & Aliud exemplum de tenebris circa Aetnam ex eruptione fumi, fauillaeque, quolucis caelestis usuram nobis commendat. **QUAENAM**, & quasi dicat, Valde admirabilis uideretur. **SED assiduitate**, & Res aliquandiu desideratae magis, quam assiduae praeceptae delectant. **QVIS hominem dixerit**, & quasi dicat, Hic non est appellandus homo rationali scilicet discursu praeditus; sed potius irrationale, & brutum animal. **ASTRORVM ordines**, & Argumentum ab ordine astrorum. In omni uero ordine tria sunt: causa efficiens, forma, & finis. Cum igitur ordine regatur mundus, necesse est Deum esse. **NULLO consilio**, & quoniam arcana diuini consilij mens humana non attingit. **AN, cum machinatione**, & Ex minori, Parua opera sunt ratione, igitur multo magis caelum ordine gubernatur. **LICET enim iam**, & Demonstratio ordinis per omnes mundi partes, ex quibus abunde diuina elucet prouidentia. **Ac principio terra**, & Exponit situs elementorum, ut inde ordinantis ostendatur sapientia. **In media mundi sede**, & in medio caelo. Caelum enim est mundi sedes, atque omnium ambitus. Terrae descriptio a situ, figura, ornatu, usu, & incolarum industria.

NVTI-

NVTIVS suis ? proprijs inclinationibus, naturali scilicet pondere. CONGLOBATA ? rotundata, complexione suis. AT vero ? transit ad secundum elementum mundi. Maris descriptio a forma, infulis, litoribus, belluarum uarietate, & figura. AD saxa ? sunt quaedam aquatilia *ὄσπρα καὶ ὄσπρα*, nō *ὄσπρα* dicta, id est, dura, & filicea testa intacta, quae adhaerent saxi. TERRAM appetens ? Aqua cum terra sic coniungitur, ut una sphaera, siue globus ex utrisque factus esse uideatur. CONFLATA ? confusa. Metaphora sumpta a flatu, & fornacibus fusorijs. EXIN mari ? Aeris utilitates, ex quo generantur nubes. DIE, & nocte ? Alius est diurnus, alius nocturnus, caliginosus, humidus &c. FVSVS ? igneo calore rarefactus. IN sublime ? ad caelum. HVMOREMQ. colligens ? nimirum subtiliores aquae partes, salfedine prorsus carentes, atque ita secundandae terrae idoneas. SVSTINET ? adiuuans eas concretionem suam & crassitie. Plinius agens de motu terrae, dicit: Neque unquam intumescunt terrae, nisi sopito mari, caeloque adeo tranquillo, ut uolatus auium non pendeant substracto omni spiritu, qui uehit. SPIRITV ductus ? spiratione hauustus. Quattuor esse elementa constat, inquit Plinius, igneum summo, inde tot stellarum illos collucentium oculos: proximum spiritus, quem Graeci, nostrique eodem uocabulo aera appellant. Vitalem hunc, ac per cuncta rerum meabilem, atque conferunt.

CICERO

RESTAT ultimus, & a domicilijs nostris altissimus, omnia cingens, & coercens caeli complexus, qui idem aether uocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos desiniunt. e quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam uoluitur; isque oriens, & occidens, diem, noctemque conficit; & modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum uicissim laetificat, ut cum caelo hilarata uideatur. Luna autem, quae est, ut ostendunt mathematici, maior, quam dimidia pars terrae, iisdem spatijs uagatur, quibus sol: sed tum congregiendi cum sole, tum digrediens, & eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras, & uarias ipsa mutationes lucis habet: atque etiam tum subiecta, atque opposita soli, radios eius, & lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terrae, cum est e regione solis, interpositu, interiectuque terrae repente deficit: iisdemque spatijs eae stellae, quas uagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, et occidunt. quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistant. quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint. Atque hoc loco me intuens, Var, inquit, carminibus Arati, eis, quae a te admodum adolescentulo conuersa, ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex ijs memoria teneam. ergo, ut oculis assidue uidemus sine ulla mutatione, aut uarietate, Cetera labuntur celeri caelestia motu, Cum caeloque simul noctesq. diesque feruntur. quorum contemplatione nullius expleri potest animus, naturae constantiam uidere cupientis. Extremusque adeo duplici de cardine uertitur. Dicitur esse polus. Hunc circum *ἀρκτοί* duae uertuntur: numquam occidentes. Ex his altera apud Graecos Cynosura uocatur, Altera dicitur esse Helice. cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus. Quas nostri septem soliti uocare Triones.

paribusque stellis, similiter distinctis, eundem caeli uerticem lustrat parua Cynosura. Haec fidunt duce nocturna Phoenices in alto. Sed prior illa magis stellis distincta resurgit, Et late prima confestim a nocte uidetur. Haec uero parua est: sed nautis usus in hac est: Nam cursu interiore breui conuertitur orbe. & quo sit earum stellarum admirabilior ad spectus, Has inter, uelut rapido cum gurgite flumen, Torru' Draco serpit subter, supraque reuoluens Sese, conficiensque sinus et corpore flexos. eius cum totius est praeclara species, tum in primis suspicienda est figura capitis, atque ardor oculorum. Huic non una modo caput ornans stella relucet, Verum tempora sunt duplici fulgore notata, Et trucibusque oculis duo feruida lumina flagrant. Atque uno mentum radianti sidere lucet: Oblitum caput, & tereti ceruice reflexum Obtutum in cauda maioris figere dicas. & reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cernimus. Hoc caput hic paulum sese subitoque recondit, Ortus ubi atque obitus partem admiscetur in unam. id autem caput, Attingens defessa uelut maerentis imago, Vertitur. quam quidem Graeci Engonasin uocitant, gemibus quia nixa feratur. Hic illa eximio posita est fulgore corona, atque haec quidem a tergo. propter caput autem Anguitenens: Quem claro perhibent *ὄσπρα* nomine Graij. Hic presso duplici palmarum continet Anguem, Eius & ipse manet religatus corpore toto: Namque uirum medium serpens sub pectora cingit. Ille tamen nitens graniter negligia ponit, Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepai. septentriones autem sequitur Arctophylax, uulgo qui dicitur esse Bootes: Quod quasi temone adiunctam praese quatit Arcti. dein quae sequuntur. Huic autem subter praecordia fixa uidetur Stella micans radijs Arcturus nomine claro: cui subiecta fertur, Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo. atque ita demetata signa sunt, ut in tantis descriptionibus diuina sollertia appareat.

EXPLANATIO

RESTAT *ultimus* ☿ Caeli, siue aetheris descriptio ab ambitu, & stellarum multitudine, & pulchritudine. **CAELI complexus** ☿ caelestis ambitus. **E quibus sol** ☿ Solis descriptio a magnitudine, & utilitatibus, quae sunt: distinctio diei, & noctis, uicissitudo aestatis, & hiemis tristitia, & laetitia terrae, hoc est animantium, & rerum nascentium. **BINAS in** ☿ Sol bis in annos singulos digreditur, atque recedit ab aequatore semel ad Boream, & semel ad Austrum, & toties ad eundem reuertitur. **Ab extremo** ☿ scilicet termino, seu meta, quae est in utroque tropico cancri, & Capricorni. hoc enim est extremum iter solis. **CONTRARIAS** ☿ quoniam ascendit, & descendit, dum singulis mensibus lustrat signum unum. **QVASI tristitia** ☿ contractione, translatio ab animis, qui tristitia contrahuntur, & diffunduntur laetitia. **VICISSIM** ☿ ex opposito. **LVNA autem** ☿ lunae descriptio a magnitudine, motu, lucis mutatione, & obscuracione. **MATHEMATICI** ☿ Arithmetici Geometrae, & Astronomi. **ISDEM spatij** ☿ eodem signifero circulo duodecim spatij, siue partibus diuiso, quem totum singulis mensibus lustrat, nunc ascendens, nunc descendens cursu uago. **SUBIECTA, atque** ☿ Luna subiecta, & opposita soli eclipsum solis efficit. **TVM** ☿ aliquando interdum. **INTERFOSITVM** ☿ Luna incurrente in terrae umbram fit eclipsum Lunae. **QVAS uagas** ☿ Planetarum motus nunc incitatur, id est, celerior est, nunc retardatur, interdum etiam resistunt, id est uidentur tamquam immoti subsistere, & uocantur stationales. **SE QVITVR stellarum** ☿ Descriptio stellarum fixarum. **NOTARVM figurarum** ☿ Nomina stellarum, primo ex notarum figurarum similitudine. Secundo ab artificibus Astronomiae. Tertio ab animantibus, & rebus alijs aludentibus ad naturam, & uim, quam habent stellae in haec inferiora. **DVPLICI cardine** ☿ septemtrionali, & austrino. **ἀρκτοι duae** ☿ urvae duae ἀρκτος Graece, urfus, & urfa Latine. **CYNOSVRA** ☿ proprie interpretatur cauda canis, & est urfa minor. Draconis caudae implicita. Eadem Phoenix dicta est a Thalete Phoenice, qui primus eam obseruauit. Vnde & reliqui Phoenices ea fidentes diligenter nauigare existimantur. **HELICE** ☿ maior urfa, ita dicta a uerbo ἠέλαω, id est, uoluo, & circumflecto. Nam, ut plaustrum circa polum, qui Boreas dicitur, uersari uideatur hoc signum, ut plures dixerunt, numquam occidit. **NOSTRI** ☿ id est, Latini. **TRIONES** ☿ id est, boues dici uelint, sunt qui triones, quasi terrones. Terrones, inquit Varro, boues appellantur etiamnum a bubulcis. **IN alto** ☿ in mari. **PRIOR illa** ☿ Helice **HAEC** ☿ Cynosura. **BREVI orbe** ☿ id est, circulo, qui polo propinquior est. **HAS inter** ☿ Draco iuxta axem tortuoso, & fluxuoso corpore serpente uidetur. **VELVT rapido cum gurgite flumen, &c.** ☿ Virgil. in Georg.

Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis,

Circum perq. duas in morem fluminis arctos,

Arctos Oceani metuentes aequore tingi.

SINVS flexos ☿ replicationes. **HIC** ☿ in eo loco. **ENGONASIN** ☿ Engonasis a flexo genu Herculis, nomen inuenit, qui dextro genu nix draconem premit. ἑπιούχορ ☿ ἐπίς Graece, Latine Serpens dicitur, & ἔχει habeo, & teno. Ophiuchus igitur dicitur habens, & tenens serpentem. **NEPAI** ☿ id est, Nepae. Nepa, inquit Pompeius Afrorum sidus, quod cancer appellatum, uel, ut quidam uolunt, Scorpius. Plautus: Dabo me ad parietem, & imitabor Nepam. **ARCTOPHILAX** ☿ urvae custos. **BOOTES** ☿ bubulcus, & arator. **TEMONE adiunctam** ☿ coniugatam ad plaustrum. Temo, inquit Varro, dictus est a tenendo, is enim continet iugum, & plaustrum. **SUBTER praecordia** ☿ subter pectus, & uentrem. **ARCTVRVS** ☿ Urfae cauda. Manilius, Arcturumq. rapit medio sub pectore secum. **VIRO** ☿ Haec dicitur esse iustitia. Iustitiae autem octonarium dedicant numerum.

C I C E R O

ET natos Geminos inuises sub caput Arcti.

Subiectus medio est cancer, pedibusq. tenetur.

Magni Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.

Auriga

Sub laeua Geminorum obductus parte feretur:

Aduersum caput huic Helice truculenta tnetur.

At Capra laeuum humerum claro obrinet.

tum quae sequuntur.

Verum haec est magno, atque illustri praedita signo.

Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem.

cuius sub pedibus

Corniger est ualido connexus corpore Taurus.

eius caput stellis conspersum est frequentibus.

Has Graeci stellae Hiadas uocitare suerunt:

a pluendo: ἕειν enim, est Pluere. nostri imperite Sucu-

las: quasi a suis essent, nō ab imbris, nominatae.

minorem autem septemtrionem Cepheus passis pal-

mis a tergo subsequitur.

Namque ipsum ad tergum Cynosurae uertitur Arcti.

hunc antecedit

Obscura specie stellarum Cassiopea.

Hanc autem illustri uersatur corpore propter

Andromeda, aufugiens ad spectum maeſta parentis.

Huic Equus ille, in biam quatiens fulgore micanti,

Summum contingit caput alio: stellaq. iungens

Una, tenet duplices communi lumine formas,

Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.

Exin contortis Arias cum cornibus haeret.

quem propter

Pisces, quorum alter paullum praelabitur ante,

Et magis horriferae aquilonis tangitur alis.

Ad pedes Andromedae Perseus describitur.

Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant.

cuius propter laeuum genu

- Vergilias tenui cum luce uidebis.

H

Inde

Inde Fides leuiter posita, & connexa uidetur.
 Inde est ales auis lato sub tegmine caeli,
 capiti autem Equi proximat Aquarij dextra, totusq.
 deinceps Aquarius.
 Tum gelidum ualido de pectore frigus anhelans,
 Corpore semifero magno Capricornus in orbe.
 Quem cum perpetuo uestiuit lumine Titan,
 Brumali stectens contorquet tempore currum.
 hinc autem adspicitur,
 Ut sese emergens ostendat Scorpius alto,
 Posteriore trabens flexum uic corporis arcum.
 Quem propter nitens pennis conuoluitur ales.
 At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
 deinde Delphinus.
 Exinde Orion obliquo corpore nitens.
 quem subsequens
 Feruidus ille Canis stellarum luce resulget.
 Post Lepus subsequitur,
 Curriculum numquam defesso corpore sedans.

At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo,
 Hanc Arius tegit, & Squamoso corpore Pisces,
 Fluminis illustri tangentem corpore ripas. quam lon-
 ge serpentem & manantem
 - Adspicies, proceraq. uincla uidebis,
 Quae retinent Pisces caudarum a parte locata.
 Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
 Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.
 propter quae Centaurus
 Cedit Equi partis properans submergere Chelis,
 Hinc dextram porges, quadrupes qua uasta tenetur,
 Tendit, & illustrem truculentus caedit ad aram.
 Hic sese infernis e partibus erigit Hydra:
 cuius longe corpus est fustum:
 In medioq. sinu fulgens cratera relucet.
 Extremam nitens plumato corpore Coruus
 Rostro tundit: & hic Geminis est ille sub ipsis
 Ante Canem, graio Procyon qui nomine fertur.

EXPLANATIO

SUB caput Arcti & uidelicet Cynosurae, siue Ursulae. **A**VRIGA & Heniochus a Graecis dicitur. **O**B-
SCTVS & opertus, quoniam pedes serpentini non apparent in curru latentes propter deformitatem. **C**O-
NEXVS & compactus. **I**MPERITE & indocte. **M**INOREM & Cynosuram. **C**EPHEVS & Phonicis filius fuit,
 Cicero in ultima Tusc. Nec uero Atlas sustinere caelum, nec Prometheus affixus caucaso, nec stellatus Cepheus
 cum uxore, genero, filiaq. traderetur, nisi caelestium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae tradu-
 xisset. **A**NDROMEDA & Cephei filia, quae Perseum secuta est, & Palladis beneficio astris adnumerata. **P**A-
RRENTIS & id est, Cassiopeae. **E**QVVS ille & Pegasus alatus. **A**LVO & umbilico. Hyginus agens de Pegaso, dicit:
 In umbilico nouissimam habet stellam, quae Andromeda uocatur, sed maxime lucet, quae capiti proxima ap-
 paret. **I**UINGENS & connectens alas Pegasi posita in iunctura utriusque naturae, alitis scilicet, & quadrupedis.
VNA tenet duplices & Stella supra caput Andromedae sic connectere illam cum pegaso uidetur, quasi unum
 simulacrum. **V**ERGILIAS & ita dictae sunt septem stellae in tauri tergo, quoniam earum ortus uir denunciat.
 Graece Pleiades a nauigando, quoniam earum ortu primum sit tuta nauigatio: πλειω autem Graece, nauigo
 Latine. **T**VM gelidum & Capricornus frigore geluque terram claudit, ut otiosa quasi uires colligat. **S**EMIFE-
RO & nam prior pars est hirci, posterior piscis. **V**ESTIUIT lumine & cum sol est in capricornu, bruma est. **F**ER-
VIDVS ille canis & Sirius stella in ore canis maioris urendi, & siccandi uim habet. σείρω enim est urere. **P**RO-
CERAQ. uincla & A cauda piscis forma uinculorum instat exit. **A**NTE Canem, & Ita Cicero Procyonem inter
 pretatus est. Canicula a quibusdam dicitur, hoc est minor canis.

CICERO

HAEC omnis descriptio siderum, atque hic tantus
 caeli ornatus, ex corporibus huc, & illuc, casu,
 & temere concursantibus potuisse effici, cuiquam
 sano uideri potest? aut uero alia quae natura, mentis,
 & rationis experts, haec efficere potuit, quae, non
 modo ut fierent, ratione egerunt, sed intelligi, qua-
 lia sint, sine summa ratione non possunt? Nec uero
 haec solum admirabilia, sed nihil maius, quam quod
 ita stabilis est mundus, atque ita cohaeret ad perma-
 nendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius.
 omnes enim partes eius undique medium locum ca-
 pssentes, nituntur aequaliter: maxime corpora au-
 tem inter se iuncta permanet, eum quodam quasi ui-
 culo circumdata colligantur: quod facit ea natura,
 quae per omnem mundum omnia mente, & ratione
 conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuer-
 tit extrema. Quocirca, si mundus globosus est; ob
 eamq. causam omnes eius partes, undique aequales,
 ipsae per se, atque inter se continetur: contingere idē
 terrae necesse est, ut, omnibus eius partibus in me-

dium uergentibus, (id autem medium infimum in sphae-
 ra est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tan-
 ta contentio grauitatis, et ponderum. Eademq. ratio
 ne mare, cum supra terram sit, medium tamen terrae
 locum expetens, conglobatur undique aequaliter.
 neque redundat umquam, neque effunditur. Hic
 autem continens aer fertur, ille quidem leuitate sub-
 limi, sed tamen in oēs partes se ipse fundit. ita que &
 mari continuatus, & iunctus est, & natura fertur
 ad caelum; cuius tenuitate, & calore temperatus, ui-
 talem, & salutarem spiritum praebet animantibus.
 Quem complexa summa pars caeli, quae aether dicitur,
 & suum retinet ardorem tenuem, & nulla admi-
 stione concretum, & cum aeris extremitate coniu-
 gitur. In aethere autem astra uoluuntur: quae se & ni-
 xu suo conglobata continent, & forma ipsa, figuramq.
 sua momenta sustentant. sunt enim rotunda: quibus
 formis, ut ante dixisse uideor, minime noceri po-
 test. sunt autem stellae naturae flammatae: quocirca
 terrae, maris, aquarum, uaporibus aluntur ijs, qui a so-
 le ex

le ex agris tepesactis, & ex aquis excitatur: quibus
altae, renouataeq. stellae, atque omnis aether, re-
fundunt eadem, & rursus trahunt in idem, nihil ut
fere intereat, aut admodum paululum, quod astrorū
ignis, & aetheris flamma consumat. ex quo euentu-
rum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare

dicebatur, ut ad extremum omnis mundus ignesce-
ret, cum humore consumpto neque terra ali posset, ne-
que remearet aer, cuius ortus, aqua omni exhausta,
esse non posset: ita relinqui nihil, praeter ignem: a quo
rursus animante, ac deo renouatio mundi fieret, at-
que idem ornatus oriretur.

EXPLANATIO

HAEC omnis Epiphonemata conclusio euincens sidera a deo & condita esse, & ab eodem constantissi-
meregi. **NEC** uero Amplificatio a stabilitate mundi. **COHAERET** & continuatam partium cohae-
rentiam, siue coniunctionem habet. **AD permanendum** & ad perseuerandum. **APTIVS** & conuenientius. **ME-
DIVM locum** & hoc est, terram. **NITVTVR** & cohaerent. est enim natura omnium nixus, omnium nexus,
omnium vinculum, omnium gluten. **CORPORA** & partes mundi. **AD medium** & ad se ipsam, quae facta est
medium, siue centrum caeli. **RAPIT, & conuertit** & magna sua vi. est enim natura ueluti magnes, omnes
suas partes ad se trahens. **EXTREMA** & partes suas, quarum est centrum. Porro ipsa natura uidetur compa-
randa non tam optimo magneti, & excellentissimo glutino, quam etiam hydrargiro analogia quadam: cum
enim hydrargirum ita omnibus metallis inesse dicatur, ueluti omnium materia prima, tamen omnia specie
differant inter se; pari ratione Stoici uniuersam naturam arbitrantur omnibus suis partibus inesse ueluti ani-
mam. **QUOcirca semundus** & Contiguitas corporum, siue partium mundi. **INTERVMPAT** & interiectu
suo impediatur. **CONTENTIO** & nixus, conatus. **SVpra terram sit,** & Mare quidam putarunt terram me-
diam ita circumdare, ut imae, supremaeq. partes promineant, sed terram cum aqua mutuo complexu coniun-
ctam unum globum efficere notius est, & uerius. **LOCVM expetens** & id est, terram ambiens, & interlabens.
CVIVS tenuitate & Vius aeris, uidelicet praebere spiritum salutarem animantibus. **NIXV suo** & naturali sua
proprietae. **SVA momenta sustentant** & suos motus continuant. **AQVAVM uaporibus** & Vaporis natu-
ra est humida, & calida, quemadmodum exhalationis calida & sicca. **ANt. I. Meteo. REMEARET** & in aquā
conuertit. Ex aqua aerem oriri putant Stoici. exhausta itaque aqua oriri non potest, nec in aquā iterum conuer-
ti. **ORTVS** & renouatio. **AQVA omni** & tam maris, quam fluminum. **RELINQVI** & superesse in ambitu
mundi. **NIHIL** & nullum elementorum. **A quo animante** & a quo igne, una cum anima. **Ac deo** & ac pro-
inde deo, quia una cum anima operatur, quae quidem anima deus est, uti sentiunt Stoici.

CICERO

NOLO in stellarū rōne multus nobis uideri, maxi-
meq. earum, quae errare dicuntur: quarum
tantus est concentus ex dissimilimis motibus, ut, cū
summa Saturni refrigeret, media Martis incendat,
bis interiecta Iouis illustret, & temperet, infraq.
Martem duae Soli oboediant, ipse Sol mundum om-
nem sua luce cōpleat, ab eoq. Luna illuminata graui-
ditates, & partus afferat, maturitatesq. gignendi.
quae copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi
incolumitatem coagmentatio naturae quem non mo-
uet, hūc horum nihil umquam reputauisse certo scio.
Age, ut a caelestibus rebus ad terrestres ueniamus,
quid est in his, in quo non naturae ratio intelligentis
appareat? Principio, eorum, quae gignuntur e terra,
stirpes, & stabilitatem dant ijs, quae sustinent; & ex
terra succum trahunt, quo alantur ea, quae radici-
bus continentur; obducunturq. libro, aut cortice trū-
ci, quo sunt a frigoribus, & a caloribus tutiores. Iam
uero uites sic clauiculis adminicula, tamquam mani-
bus, apprehendunt, atque ita se erigunt, ut animan-
tes. quin etiam a caulibus, brassicisque, si prope sati
sint, ut a pestiferis, & nocentibus, refugere dicun-
tur, nec eos ulla ex parte contingere. Animantium
uero quanta uarietas est: quanta ad eam rem uis, ut
in suo quoque genere permoneant & quarum aliae co-
rijs teclae sunt, aliae uillis uestitae, aliae spinis hirsu-
tae: pluma alias, alias squama uidemus obductas,
alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pen-
narum. Pastum autem animantibus large, & copio-

se natura eum, qui cuique aptus erat, comparauit.
enumerare possum, ad eum pastum capeffendum, con-
ficiendumq. quae sit in figuris animantium, & quam
sollers, subtilisq. descriptio partium, quamq. admi-
rabilis fabrica membrorum. omnia enim, quae qui-
dem intus inclusa sunt, ita nata, atque ita locata
sunt, ut nihil eorum superuacaneum sit, nihil ad ui-
tam retinendam non necessarium. Dedit autem ea-
dem natura bellis & sensum, & appetitum; ut al-
tero conatum haberent ad naturales pastus capeffen-
dos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Iam
uero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pa-
stum accedunt, alia uolando, alia nando; cibumq.
partim oris hiatu, & dentibus ipsis capeffunt, partim
unguium tenacitate arripiunt, partim ad uncita-
te rostrorum. alia sugunt, alia carpunt, alia uorant,
alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humili-
tas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant.
quae autē altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues,
ut cameli, adiuuantur proceritate collorum. manus
etiam data elephantis, quia, propter magnitudinem
corporis, difficiles aditus habebant ad pastum. At
quibus bestijs erat is cibus, ut alius generis bestijs
uescerentur; aut uires natura dedit, aut celerita-
tem. Data est quibusdam etiam machinatio quae-
dam, atque sollertia: ut in araneolis, aliae quasi rete
texunt, ut, si quid inhaeserit, consciant; aliae autem
ut ex inopinato obseruant, & si quid incidit, arri-
piunt, idq. consumunt. Pinna uero, (sic enim Grae-

ce dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. itaque, cum pisciculi parui in concham biantem innatauerint, tum admonita a squilla pinna morfu com-

primit conchas. sic dissimilimis bestiolis communter cibis quaeritur. in quo admirandum est, congressu ne aliquo inter se, aniam inde ab ortu naturae ipsae congregatae sint.

EXPLANATIO

CONCENTVS ꝛ consonantia. **V**T cum summa ꝛ Planetarum vires, & effectiones consentientes, & conuenientes rebus nascentibus. **D**VAE oboediant ꝛ Venus, & Mercurius Soli ita assistunt, ut modo ad eum accedant tamquam mandata accepturi, aut ministraturi recedant tamquam viae pericula exploraturi. Sicq. omni tempore regi suum obsequium praestant in politia caelesti. **A**GE ut a caelestibus ꝛ Transficio a caelestibus ad terrestria. **I**NTELLIGENTIS ꝛ prouidentis. **G**IGNUNTUR e terra ꝛ res terra nascentes. **I**AM uero uites ꝛ Vitis natura admirabilis, & pertinax odium inter ipsam & brassicam. **C**LAVICVLIS ꝛ capreolis. **A**DMINICVLA ꝛ sustentamenta. **A** caulibus, brassicisque, ꝛ Brassicae nomen Caules complectitur, ideo uidetur legendum **A** Lautis, ex Plinio lib. xvii. cap. 24. Haec Paullus pater. Vel a specie ad genus Cicero transijt: ut uitis non modo caulos, uerum & brassicas odio esse demonstraret. **A**NIMANTIVM ꝛ Genera animantium varia, item pastus, & membrorum, partiumq. conformatio. **O**MNIA enim quae ꝛ Notanda in animantium descriptione. Primo ordo partium, & fabricatio admirabilis. Secundo situs, siue collocatio. Tertio officium, siue usus. Quarto sensus, & appetitus. **I**AM uero alia ꝛ Modi uarij passionis animantium. **M**ANVS ꝛ id est, proboscis, qua tamquam manu res apprehendit, & attrahit. **P**INNA ꝛ Genus conchae marinae. **S**QVILLA ꝛ pisciculi genus.

CICERO

EST etiam admiratio nonnulla in bestiis aqualibus ijs, quae gignuntur in terra; ueluti crocodili, fluuiatilesq. testudines, quaedamq. serpentes ortae extra aquam, simul ac primum nati possunt, aqua persequuntur. Quin etiam anatum oua gallinis saepe supponimus: ex quibus pulli orti primum aluntur ab ijs, ut a matribus; deinde eas relinquunt, a quibus exclusi, fotiq. sunt, & effugiunt, cum primum aquam, quasi naturalem domum, uidere potuerunt. tantam ingenuit animantibus conseruandi sui natura custodiam. Legi etiam scriptum, esse auem quandam, quae Platalea nominetur, eam sibi cibum quaerere aduolat ad eas aues, quae se in mari mergeret: quae cum emerisset, piscemq. cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent: id quod ipsa inuaderet, eademq. haec auis scribitur conchis se solere complere, easq., cum stomachi calore concoxerit, euomere, atque ita eligere ex ijs, quae sunt esculenta. Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere, & moueri prope aqua; ad quas, quasi ad escam, pisces cum accesserint, confici a ranis, atque consumi. Miluo est quoddam bellu naturale cum coruo: ergo alter alterius, ubicumque nactus est, oua frangit. Illud uero ab Aristotele animaduersum, a quo pleraque, quis potest non mirari? grues, cum, loca calidiora petentes, maria transmittunt, trianguli formam efficere. eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi uentis adiuuatur; haecq. in terga praeuolantium colla, & capita reponunt. quod quia ipse dux facere non potest; quia non habet, ubi nita-

tur; reuolat, ut ipse quoque quiescat. in eius locum succedit ex ijs, quae acquirerunt: eaq. uicissitudo in omni cursu conseruatur. Multa eiusmodi proferre possum: sed genus ipsum uidetis. Iam uero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. Atque illa mirabilia. quid ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingenijs reperta sunt? uomitione canis purgare aluos ibes Aegyptiae curant. auditum est, pantheras, quae in barbaria uenenata carne caperentur, remedium quoddam habere; quo cum essent usae, non morentur: capras autem in Creta feras, cum essent confixae uenenatis sagittis, herbam quaerere, quae Distamus uocaretur: quam cum gustauissent, sagittas excidere dicunt e corpore. ceruaeque paullo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae Sefelis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra metum, & uim suis se armis quaeque defendat. cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliae fuga se, aliae occultatione tutantur: atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt. Ut uero perpetuus mundi esset ornatu, magna adhibita cura est a prouidentia deorum, ut semper essent & bestiarum genera, & arborum, omniumq. rerum, quae altae aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur. quae quidem omnia eam uim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur: idque semen inclusum est in intima parte earum bacarum, quae ex quaque stirpe funduntur: iisdemq. seminibus & homines affatim uescuntur, & terrae eiusdem generis stirpium renouatione complentur.

EXPLANATIO

SIMVL ac niti ꝛ quamprimum congressi. **A**QVAM persequuntur ꝛ in aquam descendunt. **G**RUE ꝛ Gruum historia. Primo profectio ad loca calida. Secundo industria in uolatu, in quo *λυσσα* Graecum exprit-

exprimunt. Tertio praenolantium uicissitudo. *Loca calidiora*, & ut Aegyptum, & adiacentes regiones, in quibus hiemant. *MULTA eiusmodi* & Praecisio. *Quid ea, quae* & Medicamenta ab animalibus reperta. *VOMITIONE canis purgare aluos ibes Aegyptiae curant.* & Varie legitur in libris scriptis: nam pro, Purgare, & Purgante, & Purgantes, & Purgant, reperitur; & pro, Canis, Canes: ut fortasse ita corrigendum sit, mutatione non insigni: Vomitione canes purgantur: aluo se ibes Aegyptiae curant, cuius rei historiam ex Plinio, & Plutarcho licet cognoscere. Haec Paullus pater. *IAM illa cernimus* & Arma animantium naturalia. *TORPORE* & stupore. Nouit torpedo uim suam, inquit Plinius, ipsa non torpens, merfaq. in limo se occultat, pisces, qui securi natantes obtorpuere, corripiens. *VT uero perpetuus* & Propagatio specierum.

C I C E R O

QUID loquar, quanta ratio in bestijs ad perpetuam conseruationem earum generis appareat: nam, primi, aliae mares, aliae feminae sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. deinde partes corporis & ad procreandum, & ad concipiendum aptissimae, & in mari, & in femina commiscendorum corporum mirae libidines, cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoque saeptum fingit animal: quod cum ex utero elapsum excidit, in ijs animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus natum lactescere incipit; eaque, quae paullo ante nata sunt, si ne magistro, duce natura mammae appetit, earumq. ubertate saturantur. Atque, ut intelligamus nihil horum esse fortuitum, & haec omnia esse prouidae, solertisq. naturae: quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo, quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis, custodiendisq. ijs, quae procreauerint, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere? et si pisces, ut aiunt, una cum genuerunt, relinquunt: facile enim illa aqua & sustinentur, & fetum fundunt. et studines autem, & crocodilos dicunt, cum in terra partum ediderint, obruere oua, deinde discedere. ita & nascuntur, & educantur ipsa per sese. Iam gallinae, auesq. reliquae & quietum requirunt ad pariedum locum; & cubilia sibi, nidosq. construunt; eosq. quam possunt mollissime substernunt, ut quamfacillime oua seruentur. ex quibus pullos tum excluderint, ita tuentur, ut & pennas foueant, ne frigore laedantur; & si est calor, a sole se opponant. cum autem pulli pinnulis uti possunt; tum uolatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantium, & earum rerum, quas terra gignit, conseruationem, & salutem, hominum

etiam solertia, & diligentia. nam multae et pecudes, et stirpes sunt, quae sine procuratione hominum saluae esse non possunt. magnae etiam opportunitates ad cultum hominum, atque abundantiam aliae alijs in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat; & cum tota aestate obrutam, oppletamq. tenuit, tum recedit, mollitosque, & oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Eufrates: in quam quotannis quasi novos agros inuehit. Indus uero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat, & mitigat, sed eos etiam conseruit. magnam enim uim seminum secum frumenti, & similia dicitur deportare. Multaq. alia in alijs locis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad uescendum, tam uaria, tamq. iucunda gignit? neque ea uno tempore anni: ut semper & nouitate delectemur, & copia. Quam tempestiuos autem dedit, quam salutes non modo hominum, sed etiam pecudum generi, ijs denique oibus, quae oriuntur e terra, uentos etefias? quorum statum nimij temperatur calores: ab ijsdem etiam maritimis cursus celeres, & certi diriguntur. Multa praeterea sunt; & tamen multa dicuntur, enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi, multum accedentes, & recedentes, montes uel stitii, atque siluestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, artes denique innumerabiles ad uictum, & ad uitam necessariae. Iam diei noctisq. uicissitudo conseruat animates, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, mente, consilioq. diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationemq. admirabiliter administrari.

EXPLANATIO

CUM autem & Modus generationis, & nutritionis animalium. *IN locis* & in uterinis cellulis. Aristoteles in historia animalium, pars uuluae, inquit, interior, loci, & uterus. unde fratres uterinos appellamus, ostium uero matrix dicitur. *QUID dicam, quantus* & Amor erga sobolem. *ET SI pisces* & Exempla defertionis sobolis, in piscibus, testudine, & Crocodilo. *IAM gallinae* & cura animantium, & partu, & nutritione sobolis suae. *STIRPES* & ueluti sunt uites, quae annuam putationem requirunt, & curam agricolarum. *MAGNAE etiam* & Fertilitas singularis, & miranda ex fluminum irrigatione. *MESOPOTAMIA* & ita dicta, quod media sit inter duo flumina, Euphratem scilicet, & Tigridem. *SED illa quanta* & Elementorum uarietas atque copia. *TEMPESTIVOS* & opportunos, commodos, necessarios. *VENTOS etefias?* & Hi sunt annui, & stari, ab etos, quod annum significat, ab Aquilone spirantes ex oriente canicula, & leni suo flatu mirifice ardorem aestatis mitigantes. *MULTA praeterea sunt* & Praeteritio. *SIC undique* & Epilogus tertiae partis de diuina cura, & gubernatione mundi.

C I C E R O

SIN quaeret quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit, arborum ne, & herbarum, quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustentantur? at id quidem absurdum est. an bestiarum? nihilo probabilius, deos mutarum, & nihil intelligentium causa tantum laborasse. quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. hi sunt dii, & homines: quibus profecto nihil est melius. ratio est enim, quae praestat omnibus. itaque fit credibile, deorum, & hominum causa factum esse mundum, quaeq. in eo sint omnia, facilius q. intelligitur, a diis immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnis q. humanae naturae figura, atque perfectio. Nam, cum tribus rebus animantium uita teneatur, cibo, portione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum; quod, adiunctis naribus, spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, & molitur cibus. eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas, intimi autem conficiunt, qui geniui uocantur: quae confectio etiam a lingua adiuuari uideatur. Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus: quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore. is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo, atque intimo terminatur. atque is agitatione, & motibus linguae cum depulsum, & quasi detrusum cibum accipit, depellit. ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod deuoratur, dilatantur; quae autem supra, contrahuntur. Sed, cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat adiunctum linguae radicibus, paullo supra, quam ad linguam stomachus annectitur; eaq. ad pulmones usque pertineat, excipiatq. animam eam, quae ducta

sit spiritu, eandemq. a pulmonibus respiret, & redat: tegitur quasi quodam operculo. quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed, cum alui natura, subiecta stomacho, cibi, & portionis sit receptaculum; pulmones autem, & cor extrinsecus spiritum adducant: in aluo multa sunt mirabiliter effecta: quae constant fere e nervis. est autem multiplex; & tortuosa, arcetque, & continet siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit, ut id mutari, & concoqui facile possit: eaq. tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit, & confundit: ut facile & calore, quae multum habet, & terendo cibo, & praeterea spiritu omnia cocta, atque confecta in reliquum corpus diuidantur. In pulmonibus autem inest raritas quaedam, & assimilis spongij mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahit adspirantes, tum spiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animales. Ex intestinis autem, & aluo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam in medio intestino usque ad portas iecoris (sic enim appellant) ductas, & directas uias, quae pertinent ad iecur, eiq. adhaerent. atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. ab eo cibo cum est secreta bilis: isq. humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem uertunt, ad eandemq. portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius uiae pertinent: per quas lapsus cibus ex hoc ipso loco in eam uenam, quae caua appellatur, confunditur, perq. eam ad cor confectus iam, coctusq. perlabitur: a corde autem in totum corpus distribuitur per uenas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes.

EXPLANATIO

SIN quaeret quispiam? Quartae quaestionis explicatio de causa finali administrationis mundi, quae est salus hominis. **NIHILO probabilius** & aequae absonum est, inquit, mundum esse effectum bestiarum causa. **RATIO est enim?** Confirmatio, Deus omnia condidit propter naturam praestantissimam. Nulla natura est praestantior homine. Igitur nullus causa nisi hominis omnia Deus condidit & seruat. **NAM, cum tribus** & Anatome seu descriptio partium hominis, quas tripliciter diuidit, ut aliae cibo inferuiant, aliae portioni, quaedam etiam spiritui, quamquam nonnullae ex his communiter omnibus famulantur, ut os &c. **SPIRITV** & aere. **ADIVNCTIS naribus** & foraminibus narium. **SPIRITV augetur** & aere ingrediente impletur. **MOLLITUR cibus.** & Satis aptus elicitur sensus: mihi tamen magis placeret, Molitur; a uerbo, Mollo molis, unde Molares dentes, atq. etiam in hoc uerbo Maslei liber, l, consonantem non geminat. Haec Paululus pater. **Molitur:** teritur, ut mola triticum. **ACVTI** & priores quattuor ob id incisorijs, & diuisores dicti. **CONFICIUNT** & commiscet. **GENVIUI** & quoniam a genis dependet. dicuntur & maxillares. **STOMACHVS** & Est angustus canalis a uoce σίμα, os, & ἄγχος, angustia, deuehens cibum in uentriculum. **STOMACHVS** & Stomachus, inquit Celsus, qui intestinorum principium est cum uentriculo committitur: uentriculus autem receptaculum cibi est. **TONSILLAS** & sunt tonsillae in homine, quae in suis glandulae. **IPSIVS** & scilicet stomachi. **ASPERA arteria** & ita dicitur semita spiritus, quae carne constat, & cartilagine uulgo canna pulmonis. **PAULLO supra** & quoniam arteria est ante stomachum. **QUAE ducta sit spiritu** & quae anima haurita sit spiratione, siue attracta sit cum ipso aere, cum quo spirabilis est. **TEGITVR quasi quodam operculo** & Arteria, inquit, philosophus cibo intestatur: attamen natura molita est ad hoc minorem linguam, quam arteriam operiret. **SED cum alui** & Alui, siue uentriculi descriptio a situ, officio, & usu: nam recipit cibum & potum, eumq. concoquit, & alterat. **EST multiplex** & multas habet plicas. **IN pulmonibus autem** & Pulmonis descriptio, a substantia, & officio. **ADSPIRANTES** & spiritum emittentes. cum enim se constringunt, pulmones, spiritum exprimunt more follium. **DUCATUR** & hauriatur. **EX intestinis** & Ex uentriculo cibus mittitur

mittitur in intestina, ubi fit secretio, & id quidem quod purius, & liquidius est a medio intestino, quod mesenterion uocant per uenam portam in epar inuehitur, lutulentum uero ad inferiora pellitur. MEDIO 3 quod est inter aluum, & imas partes. ATQUE inde aliae 3 scilicet uiae, uel uenae, quae uehant cibum. RELIQUA se 3 Quarta pars in sanguinem mutatur. DISTRIBUTVR 3 sunt enim uenae, ceu riui, per quos sanguis de corde, quasi aqua de fonte, uenit in omnes partes corporis.

C I C E R O

QVEM AD MODVM autem reliquiae cibi depellantur, tum adstringentibus, se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictum est, sed tamen praeterendum est, ne quid habeat inuicunditatis oratio, illa potius explicetur incredibilis fabri ca naturae. Nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde coagitatione pulmonum: ex eaq. pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam uentriculum cordis appellant: cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per uenam illam cauam insiuit, eoque modo ex his partibus, & sanguis per uenas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias, utraque autem crebrae, multaeque toto corpore intextae, ut quaedam incredibilem artificiosum operis, diuiniq. testantur. Quid dicam de ossibus? quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huc adde neruos, a quibus artus continentur; eorumque implicationem toto corpore pertinentem; qui, sicut uenae, & arteriae a corde tractae, & profectae, in corpus omne ducuntur. Ad hanc providentiam naturae tam diligentem, tamque solertem adiungi multa possunt, e quibus intelligatur, quanta res hominibus a deo, quamque eximia tributa sint: qui primum eos, humo excitatos, celsos, & erectos constituit, ut deorum cognitionem, caelum intuentes, capere possent, sunt enim e terra homines, non ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque caelestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes ac nunciij rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios & facti, & collocati sunt, nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent; ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures, cum sonum recipere debeant, qui natura in

sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt; & quod cibi, & potionis iudicium magnum earum est, non sine causa uicinitatem oris secutae sunt. tam gustatus, qui sentire eorum, quibus uescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificijs architecti auertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quae profluentia necessario taetri essent, aliquid habitura: sic natura res similes procul amandauit a sensibus. Quis uero opifex, praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? quae primum oculos membranis tenuissimis uestiuit, & saepit: quas primum per lucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. sed lubricos oculos fecit, & mobiles; ut & declinarent, si quid noceret; & ad spectum, quo uellent, facile conuerterent. aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupilla uocatur, ita parua est, ut ea, quae nocere possint, facile uitet. palpebraeque, quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque prouidit ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. munitaeque sunt palpebrae tamquam uallo pilorum: quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno conuiuentibus; cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tamquam inuoluti quiescerent. Latent praeterea utiliter, & excelsis undique partibus saepiuntur. primum enim superiora supercilij obducta sudorem, a capite, & fronte defluentem, repellunt. genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae, leuiterque eminentes.

EXPLANATIO

NAM, qui spiritu 3 Pulmo inspirat aerem, eumque praeparatum ad cor transmittit ad calorem eius mitigandum, simulque fumosum aerem emittit, ne cor suffocetur. COAGITATIONE pulmonum 3 hi quasi binae alae continue circa cor, ubi uitalis calor inest, coagitantur, sua dilatatione attrahendo, & constrictione exprimendo ipsum aerem. VENTRICULVM cordis 3 scilicet sinistrum, cuius officium est, excipere aerem ex pulmone allatum. ALTER 3 scilicet dexter. QUI 3 nerui. QVAE primum 3 figura hominis ad agnoscendum deum, & res superas accommodata. INTVENTES 3 Rerum optimarum, inquit Plato, cognitionem nobis oculi attulerunt, nam haec, quae de mundo disputantur, numquam inuenta essent, si neque sidera, neque sol, neque caelum suspici potuissent. cognitio uero diei, ac noctis ab oculis orta, effecit, ut dinumeratione quadam mensuram, annorumque ambitus metiremur, tempus cognosceremus, uniuersae naturae ordinem scrutaremur: quibus rebus philosophiam adepti sumus, quo bono nihil umquam maius mortalium generi datum est deorum munere, neque dabitur. Aferendum est ob hanc potissimum rationem, deum oculos genuisse, ut mentis circuitus, qui in caelo peraguntur intuitu, in usum redigamus nostrae mentis, cogitationesque nostras ad illorum temperatam reuocemus. CIBI, & potionis 3 quoniam odores habent, quorum nares interpretes sunt. ATQUE, ut in aedificijs 3 Simile, quo dei solertia in opificio corporis humani declaratur. PRIMVM oculos 3 Descriptio oculorum.

Iorum. **ACIES** § ita dicitur cuiusq. rei acumen. unde **Acies oculi**, **Acies ingenij**. **SOMNO conuiuentibus** § oculis.

CICERO

NASVS ita locatus est, ut, quasi murus, oculis interiectus esse uideatur. **Auditus** autem semper patet. eius enim sensu etiam dormientes egemus. a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret. prouisum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrumperere, in sordibus aurium, tamquam in uisco, inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, & tegendi causa factae, tutandiq. sensus; & ne adiectae uoces laberentur, atque errarent, prius quam sensus ab his pulsus esset. sed duos, & quasi corneolos habent introitus, multisq. cum flexibus; quod his naturis relatus amplificatur sonus. quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu; & ex tortuosis locis, & inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremq. semper habent ad puluerem, multaq. alia repellenda non inutilem. Gustatus praeclare saeptus est: ore enim continetur, & ad usum apte, & ad incolumitatis custodiam. omnisq. sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. Primum enim oculi in ijs artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fideis, caelatisq. formis, in corporum etiam motione, atque gestu multa cernunt subtilius: colorum etiam, & figurarum uenustatem, atque ordinem, & ut ita dicam, decentiam oculi iudicant. atque etiam alia maiora. nam & uirtutes, & uitia cognoscunt; iratum, propitium; laetantem, dolentem; fortem, ignauium; au-

dacem, timidumq. cognoscunt. **Aurium** item est admirabile quoddam, artificiosumq. iudicium, quo indicatur & in uocis, & in tiliarum, neruorumq. cantibus uarietas sonorum, interualla, distinctio, & uocis genera permulta, canorum, fuscum, leue, asperum, graue, acutum, flexibile, durum, quae hominum solum auribus iudicantur: **Nariumq. item**, & gustandi pariter, & tangendi magna iudicia sunt. Ad quos sensus capiendos, & perfruedos plures etiam, quauellem, artes repertae sunt. perspicuum est enim, quo compositionem unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. tam uero animum ipsum, mentemq. hominis, rationem consilium, prudentiam, qui non diuina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi uideatur carere. de quo dum disputarem, tuam mihi dari uelim, Cotta, eloquentiam. quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio, & comprehensio esset in nobis: ex quo uidelicet, quid ex quibusq. rebus efficiatur, idq. ratione, concludimus: singulasque res definimus, circumscripteq. complectimur: ex quo, scientia, intelligitur, quam uim habeat, qualis sit: qua ne in deo quidem est res ulla praestantior. Quanta uero illa sunt, quae uos **Academici** infirmatis, & tollitis; quod & sensibus, & animo ea, quae extra sunt, percipimus, atque comprehendimus. ex quibus collatis inter se, & comparatis artes quoque efficimus, partim ad usum uitae, partim ad oblectationem necessarias.

EXPLANATIO

AUDITVS autem § Descriptio auditus, primo a continuo usu, secundo a causa adiuuante, hoc est a partibus quae praeparant auditum, ut sunt amfractus, & aures. **CORNEOLOS** § tortuosos, inftar cornuum, ut resonantia fiat. **NATURIS** § qualitatibus naturalibus, uidelicet duritie, & tortuositate cornea. **IN FIDIBUS** § exemplum fidium in testudine resonantium. **OMNISQ. sensus hominum** § Amplificatio per collationem sensuum in hominibus, ac bestiis. **OMNISQ. sensus hominum** § & communis sensus, qui est in homine, & reflectit cognitionem suam super sensus, adeo ut homo sentiat se sentire. **VENUSTATEM** § elegantem membrorum compositionem. **COGNOSCUNT** § ex signis harum affectionum, in facie, uultuq. apparentibus. **DISTINCTIO** § ordinata collocatio. **UNGUENTORVM** § quorum uarietate nares oblectantur. Unguenta, inquit Plinius, alio exspirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeuntem feminam odor inuiter, etiam aliud agentem. Terrarum omnium Aegyptus accomodatissima unguentis, ab ea Campania est proxima copia rosae. **LENOCINIA** § expolitiones. **IAM UERO ANIMUM** § Mentis actiones admirandae, ut intelligentia, siue simplicium cognitio, numeratio, compositio, & diuisio, ratiocinatio, definitio, iudicium, scientia. **HIS IPSIS REBUS** § ratione scilicet, consilio, & prudentia. **QUO TU ILLA MODO DICERES?** § Eleganter, inquit, diceres, & nido uerborum fluxu. **CVM PRIMIS** § cum praecedentibus. **EFFICIATUR** § concludatur. **RATIONE** § syllogismo. **CIRCUMSCRIPTAE** § determinate. **INFIRMATIS** § dicitis esse infirma, & debilia. **TOLLUNT** § negant, remouent, eripiunt, euertunt. **EAE, quae extra sunt** § obiecta sensuum, & intelligibilia, quae omnia sunt extrinseca. **COLLATIS, & comparatis** § ratione scilicet, & communi sensu, ad motus, & simul positus, ueluti ad aequilibrium. **ARTES quoque** § Ars ex uniuersali experientia extrahitur, cum uidelicet res paene innumerae eodem modo eueniunt iisdem signis antegressis.

C I C E R O

IAM uero domina rerum, ut uos soletis dicere, eloquendi uis quā est praeclara, quamq. diuina? quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, discere, & ea, quae scimus, alios docere possimus. deinde hac cohortamur; hac persuademus; hac consolamur afflictos; hac deducimus perterritos a timore; hac gestientes comprimimus; hac cupiditates, iracundiasq. restringimus. haec nos iuris, legū, urbium societate deuinxit: haec a uita immani, et fera segregauit. Ad usum autem orationis, incredibile est, nisi diligenter attenderis, quāta opera machinata natura sit. primum. n. a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet: per quam uox principium a mente ducens, percipitur, & funditur. deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. ea uocem immoderate profusam fingit, & terminat: quae sonos uocis distinctos & pressos efficit, cum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, naues cornibus ijs, qui ad neruos resonant in cantibus. Quam uero aptas, quamq. multarum artium ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, facilisq. porrectio, propter molles commissuras, & artus nullo in motu laborat. itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad neruorum eliciendos sonos, ac tibiuarum apta manus est ad motionem digitorum. Atque haec oblectationis, illa necessitatis: cultus dico agrorum, exstruktionessq. tectorum, tegumenta corporum uel texta, uel suta, om-

nemq. fabricam aeris, & ferri. ex quo intelligitur, ad inuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut uestiti, ut salui esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam uero operibus hominum, id est manibus, cibi etiam uarietas inuenitur, & copia. nam & agri multa ferunt manu quaesita, quae uel statim consumantur, uel mandentur condita uel iustati: et praeterea uescimur bestijs & terrenis, & aquatilibus, et uolatilibus, partim capiēdo, partim alēdo. Efficimus et domitu nostro quadrupedū uectiones: quorū celeritas, atque uis nobis ipsis affert uim, et celeritatē. nos onera quibusdā bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorū acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur: nos e terrae cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri uenas, penitus abditas, inuenimus, & ad usum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omniq. materia, & culta, et siluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora, caloresq. pellamus. magnos uero usus affert ad nauigia faciēda: quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad uitā copiae: quasq. res uiolentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris, atque uentorum, propter nauticarum rerum scientiam: plurimissq. maritimis rebus fruimur, atque utimur.

EXPLANATIO

IAM uero domina? Eloquentiae dignitas, & effectus. SOCIETATE? communicatione, participatione. **AD usum orationis?** ut apte uti possimus oratione. **PRIMUM enim?** Sermonis formandi organa. **A mente?** Sermo est interpretis mentis, eius sensa exprimens. **PRESSOS?** restrictos. **PLECTRI?** instrumenti, quo canore fides in musicis tanguntur, a uerbo πλῆττω, quod Latine significat percutio, & uerbero. **NOSTRI?** Stoicae sectae philosophi. dicebant Stoici linguam in ore humano esse ueluti plectrum, dentes ueluti chordas, cauum oris testudinem, & narium meatus testudinis cornua. **CORNIBVS ijs, qui &c.** more prisco ponitur Cornus masculini generis & declinationis quartae, ut Visus, & Sensus. Ad stipulatur Lucanus, qui sic cecinit: Cornus tibi cura sinistra: item Plinius his uerbis, Dentes mobiles confirmat ceruini cornus cinis. **AD neruos?** ad chordas, ex neruosis intestinis factas. **IN cantibus?** dum homo canit. **QUAM uero aptas?** Manus fabricatio miranda, & utilitas ingens. **MANU quaesita?** opera, & labore manus comparata. **CONDITA?** reposita, & seruata, ut penus fiant ad usum annuum. **CONDUS dicitur,** qui fructus annuis recondit, & Promus, qui profert eos, cum usus exigit. **ALENDO?** nutriendo, inde Altilia dicta, quae domi, aut ruri alimentis fouemus. **EFFICIMVS quadrupedum uectiones?** id est utimur opera quadrupedum ad uehendum. **ONERA quibusdam bestijs?** ut equis, mulis, asinis. **IUGA imponimus?** ut bobus. **ELEPHANTORVM acutissimis sensibus?** Elephas, inquit Plinius, maximum animal, & proximum humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrij, & in primis oboedientia, officiorumq. quae didicere memoria, amoris, & gloriae, uoluptas, & probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum, Solisque, & Lunae ueneratio. Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt. **SAGACITATE canum?** olfactu canum. eo enim sensu plurimum pollent canes. Sagire autem est acute sentire. **QUASQUE res uiolentissimas?** Dominatus maris, & uentorum est in homine.

C I C E R O

TERRENORVM item commodorum omnis est in homine dominatus. nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges seruimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus ter-

ris fecunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturā efficere conamur. Quid uero? hominum ratio non in caelum usque pertrauit?

I

trauit?

trauit? soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursus q. cognouimus: ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus: defectioes solis & lunae cognitae, praedictaeq. in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. quae contuens animus, accipit ab his cognitionem deorum, ex qua oritur pietas: cui coniuncta iustitia est, reliquaeq. uirtutes: ex quibus uita beata exsistit, & par, & similis deorum, nulla re, nisi immortalitate, quae nihil ad bene uiuendum pertinet, cedens caelestibus. Quibus rebus expositis, docuisse uideor, hominis natura quae omnes anteiret animantes. ex quo debet intelligi, nec figuram, situmq. membrorum, nec ingenij, mentisq. uim talem effici potuisse fortuna. Restat, ut doceam, atque aliquando perorem, omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominū causa facta esse, & parata. Principio ipse mundus deorum hominumq. causa factus est: quaeq. in eo

sunt omnia, ea parata ad fructum hominum, et inuenta sunt. est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. soli enim ratione utentes, iure, ac lege uiuunt. Ut igitur, Athenas, & Lacedaemonem, Atheniensium, Lacedaemoniorumq. causa, putandum est, conditas esse; omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur: sic, quaecumque sunt in omni mundo, deorum, atque hominum putanda sunt. Iam uero circuitus solis, & lunae, reliquorumq. siderum quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamē & spectaculū hominibus praebent, nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, & ad rationē solertiamq. praestantior. eorum enim cursus demetiri, maturitates temporum, & uarietates, mutationesq. cognouimus. quae si hominibus solis nota sunt, hominum causa facta esse iudicanda sunt.

EXPLANATIO

TERRENORVM item § Dominatus terrenorum commodorum. **N**OSTRIS manibus § uti instrumentis aptis ad efficiendum quoscumque motus. **I**N rerum natura § in partibus mundi. **A**LTERAM naturam § alterum motum, qui in re naturali magis conducatur homini, ut in insitionibus arborum, aquae ductibus &c. **Q**UID uero hominum ratio § Rationis humanae opera, & effectioes. **Q**VAE contuens animus, § Finis considerationis mirandorum Dei operum est eius cognitio, & cultus. **P**RETAS § debitus cultus. **R**ELIQVAE uirtutes § prudentia, fortitudo, & temperantia. **N**ISI immortalitate § In hac sententia Aristoteles dixit hominem esse natum ad actiones, & contemplationes, quasi quendam mortalem deum. **Q**UIBUS rebus expositis § Conclusio ostendens quorsum haec de fabricatione hominis pertineant, ut uidelicet quanta bona homini a Deo tributa sint demonstrent. **R**ESTAT, ut doceam, § Haec est ultima pars quadripartitae disputationis, in qua concluditur omnia mundi huius bona homini esse data. **H**OMINVM causa § Arist. lib. I. Polit. cap. 5. Ομηρίων, τὰτε φησὶ τῶν ζῴων ἐνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα ζῴων ἀνθρώπων χάριν. **P**RINCIPIO § Confirmatio a causa finali conditi mundi. **E**ST enim § Mundi definitio causalis. **I**URE, § ordinatione aliqua ciuitatis. **U**T igitur § simile declarans causam finalem fabricati mundi. **I**AM uero § Distributio, quae, quod de toto mundo dixit, de singulis eius partibus uerum esse comprobatur. **N**ULLA insatiabilior species § nulla, inquit, res spectaculo dum inspicitur, minus satiat homines, quam circuitus Solis, & Lunae, reliquorumq. siderum.

CICERO

TERRA uero, seta frugibus, & uario leguminum genere, quae maxima largitate fundit, ea ferarum ne, an hominum causa gignere uidetur? Quid de uiribus, oliuetisq. dicam? quarum uberrimi lactifimiq. fructus nihil omnino ad bestias pertinent. neque enim serendi, neque colendi, nec tempestiue demetendi, percipiendiq. fructus, neque condendi, ac reponendi ulla pecudum scientia est: earumq. omnium rerum hominum est & usus, & cura. ut fides igitur, & tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possunt sic ea, quae diximus, solis ijs consistendum est esse parata, qui utuntur. nec, si quae bestiae furantur aliquid ex his, aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. neque enim homines murum, aut formicarum causa frumentum condunt, sed coniugum, & liberorum, & familiarum suarum. itaque bestiae furim, ut dixi, fruuntur, domini palam, & libere. hominum igitur causa eas rerum copias comparatas, fatendum est. Nisi forte tanta ubertas, & uarietas pomorum, eorumq. iucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam, et ad spectus dubitationē affert, quin hominibus solis ea natura donauerit. tan-

tumq. abest, ut haec bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse uideamus. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum uillis confectis, atque contextis homines uestiantur? quae quidem neque ali, neque sustentari, neque ullū fructum edere ex se sine cultu hominum, & curatione potuissent. Canum uero tam fida custodia, tam amans dominorum adulatio, tantumq. odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in uenando quin significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natae ad iugum: tum uires bumerorum, et latitudines ad aratra extrahenda, quibus cum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poetae loquuntur, nis numquam ulla afferrebat. Ferrea tum uero proles exorta repente est, Ausaq. funestum prima est fabricariet ense, Et gustare manu uictum, domitumq. iuuenicum. tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum uisceribus uesci scelus haberetur. Longum est mu-

lorum

eorum persequi utilitates, & asinorum: quae certe ad hominum usum paratae sunt. Sus uero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putresceret, animam

ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. qua pecu de, quod erat ad uescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.

EXPLANATIO

TERRA uero de commodis, quae caelestia afferunt, descendit ad ea, quae homines percipiunt ex terra, & terrestribus. NIHIL omnino Argumentum ex causa finali ductam, Omnia commoda in mundo sunt condita propter usum, bestiae non possunt uti. Igitur propter bestias non sunt nata. Nec, si quae bestiae Occurrit obiectioni, quae talis est, Bestiae commodis in mundo conditis fruuntur, Igitur non solum hominis causa sunt parata. Respondet, Bestiae quidem fruuntur his, sed furtim principaliter uero homo. MVRVM pro Murum, contra analogiam, ut docet Celsus lib. I. his uerbis: Murum. Cicero de nat. de. lib. II. Nec enim homines murum, aut formicarum, causa frumentum condunt. Vbi Plinius, dubij sermonis lib. VI. Pro, Murum, inquit, quoniam, non ut Fures Furum, & Angurum, & Celerum dicimus, ita Murum cenferre debemus. quaecumque enim R. littera nominatio singulari sunt terminata, oportet ea genitio plurali Vm, non Ium, recipere debere. itaque Trogum de animalibus lib. x. Parium numerorum, & Imparium, non recte dixisse; sed Parum, & Imparum. LIBERE, nemine prohibente. NISI forte Ironia. TAN- TVM Q. abest Inuersio, qua non solum detrahit rerum usum bestijs, sed ipsas etiam hominum uisibus subijcit. CANVM uero Canum usus. QUID de bobus bouum utilitas AVREO genere idest, optimo. Aureum genus, inquit Plato, dicitur non ex auro constitutum, sed boni, atque prudentes aureum genus esse dicuntur. Vis numquam ulla afferebatur. Columella, agens de boue, dicit, Tanta fuit apud antiquos ueneratio, ut tam capitale esset botem necasse, quam ciuem. hoc etiam Plinius repetijt. QUID habet ad quid aliud prodet homini. PRAETER escam praeter quam ad cibum. PRO sale uice salis. Idem lib. V. de Fin. Varro de re rust. lib. I. cap. 4. Plinius agens de suis, Animal hoc brutum maxime, animamq. ei pro sale datam, non illepide existimabatur.

CICERO

VID multitudinem, suauitatemq. piscium dicam? quid auium? ex quibus tanta percipitur uoluptas, ut interdum & propria nostra Epicurea fuisse uideatur. atque hae ne caperentur quidem, nisi hominum ratione, atque sollertia. quamquam aues quasdam, & alites, & oscines, ut nostri augures appellant, uerum augurandarum causa esse natas putemus. Iam uero immanes, & feras belluas nanciscimur uenando, ut & uescamur ijs, & exercemur in uenando ad similitudinem bellicae disciplinae; & utamur domitis, & condocefactis, ut elephantis; multaq. ex earum corporibus remedia morbis, & uulneribus eligamus, sicut ex quibusdam stirpibus, & herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu, & periclitatione percepimus. Totam licet animis, tamquam oculis, lustrare terram, mariaq. omnia cernere, & spatia frugifera, atque immensa camporum, uesitiusq. densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maximos celeritate. Nec uero tantum supra terram, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas; quae ad usum hominum orta, ab hominibus solis inuenitur. Illud uero, quod uterque uestrum fortasse arripit ad reprehendendum; Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos inuehebatur; Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus, quam praedictionem rerum futurarum; mihi uidetur uel maxime confirmare, deorum providentia consuli rebus humanis. est enim profecto diuinatio, quae multis locis, rebus, temporibus apparet, tum in priuatis, tum maxime in publicis. multa cernunt haruspices; multa augures prouident; multa oraculis declarantur, multa uaticinationibus, multa somnijs, multa portentis: quibus cognitjs, multae saepe res hominum sententia, atque utilitate par

tae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur siue uis, siue ars, siue natura, ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec ab alio alicui, quam a dijs immortalibus, data. quae si singula uos forte non mouent, uniuersa certe inter se connexa, atque coniuncta mouere debent. Nec uero uniuerso generi hominum solum, sed etiam singulis a dijs immortalibus consuli, & prouideri solet. licet enim contrahere uniuersitatem generis humani, eamq. gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. nam, si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora, ac parte terrarum ab huiusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas causas, quas ante diximus; his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. sin autem his consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quam nos orbem terrae uocamus: etiam illis consulunt, qui partes eius insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. ergo & earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum; & earum urbium separim ab uniuersis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanum; primo Punico Galatinum, Duilium, Metellum, Lutatium; secundo Maximum, Marcellum, Africanum; post hos Paululum, Gracchum. Catonem, patrum ue memoria Scipionem, Laelium: multosq. praeterea & nostra ciuitas, & Graecia tulit singulares uiros: quorum neminem, nisi iuante deo, tale fuisse credendum est. quae ratio poetas, maximeq. Homerum impulit, ut principibus heroium, Ulyssi, Diomedis, Agamemnoni, Achilli, certos deos discriminum, & periculorum comites adiungeret.

EXPLANATIO

Πρόνοια nostra § providentia a nostris Stoicis inducta. *EPICUREA* fuisse § indulgisse hominum voluptati. Et *alites*, & *oscines* § & volatu, & cantu augurium facientes. *VT* & *uescamur ijs*, § Arist. lib. 1. Polit. cap. 3. τῶν Ἀγρίων εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τὰ γε πλεῖστα τῆς τροφῆς, καὶ ἄλλης βοῦθει' αὐς ἐρεκεν. &c. Et *exerceamur in uenando* § Plato in lib. VII. de legibus, Sol, inquit, quadrupedum uenatio illa restat optima, quae equis, canibus, corporisq. uiribus agitur. nam quibuscumq. fortitudo cordi est, hi quadrupedes omnes cursu uulneribus, telisq. manu propria uenando uincere debent. *BELLICAE disciplinae* § Etiam Xenoph. 1. πρὸς δ. ait pueros uenando exercitatos fuisse apud Persas, ut hoc uelut simulacro ad militiae operas assuefierent. *CONDOCEFACTIS* § instructis. *VT elephantis*. § sunt enim dociles in primis elephant, & ad humanos sensus proxime accedunt. *INTIMIS* § profundis. *COTTA*, § scilicet arripet ad reprehendendum, tamquam sectator Carneadis. *VELLEIUS* § arripet, tamquam Epicuri sectator. *QVAM praedictionem* § Diuination magnū argumentū prouidentiae erga homines. *SIVE uis*, § siue concitatio animi, quae ad oracula pertinet. *SIVE ars*, § quae ad haruspicinam, & augurium. *SIVE natura*, § quae ad somnia. *QVAE si singula* § Et quae non profunt singula, multa iuuant. *Nec uero uni, uerso* § Accommodatio prouidentiae dei ad singulos homines, Deus uniuersum genus humanum amat, Igitur singulis hominibus fanet. Valet consequentia a genere ad speciem, uel a toto ad partes. *RHODVM*: § haec est insularum clarissima, & soli dicata. *CORVNCANVM*; § hic ob insignes animi dotes primus e plebe ad pontificatum euectus est. *DVILIVM* § C. Duilius proelio nauali primus Carthaginienses uicit ad Milas litorale opidum Siciliae: & primus Romanorum ducum naualis uictoriae triumphum adeptus est. *METELLVM*, § Caecilius Metellus pontifex maximus, cum templum Vestae arderet, ex incendio sacra rapuit. *LVTATIVM*; § C. Lutatius, uictis ad Aegates insulas Poenis, primo bello Punico finem imposuit. *QVAE ratio* § Testimonium poetarum de prouidentia dei consulentis heroibus.

CICERO

PRAETEREA ipsorum deorum saepe praesentiae, quales supra commemorauī, declarant, ab his & ciuitatibus, & singulis hominibus cōsuli. quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quae tum dormientibus, tum uigilantibus protenduntur. Multa praeterea ostentis, multa extis admonemur, multisq. rebus alijs: quas diuturnus usus ita noxauit, ut artem diuinationis efficeret. nemo igitur uir magnus sine aliquo afflatu diuino unquam fuit. Nec uero ita resellendum est, ut, si segetibus, aut uinetis cuiuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e uitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut inuisum deo, aut neglectum a deo iudicemus. magna dii curant, parua negligunt.

magnis autem uiris prosperae semper omnes res: si quidem satis a nostris, & a principe philosophorum Socrate dictum est de uertutibus uirtutis, & copijs. Haec mihi fere in mentem ueniebant, quae dicenda putarem de natura deorum. tu autem, Cotta, si me audias, eandem causam agas: teq. & principem ciuem putes, & pontificem esse cogites; & quoniam in utraque partem uobis licet disputare, hanc potius sumas; eamq. facultatem differendi, quam tibi, a rhetoricis exercitationibus acceptam, amplificauit Academia, huc potius conferas. mala enim, & impia consuetudo est contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate.

EXPLANATIO

PRAETEREA § Aliud testimonium praesentiae dei in ciuitatibus, & singulis hominibus. *QVOD quidem* § Testimonium praesentiae dei ex diuinatione. *ALIQVO afflatu* § aliqua inspiratione, & gratia. *Nec uero* § obiectioni, quae talis est, At multis hominibus haec commoda praecipiantur, respondit Balbus, Haec exempla non odium dei, nec iniuriam denotant. *MAGNA dii curant* § quae scilicet a fortuna non pendent, ut sunt animi. *MAGNIS uiris* § uirtute praeditis. *A nostris*, § a Stoicis. *COPIS*, § affluentibus opibus. *HAEC mihi fere* § Epilogus libri. *TU autem*, § Praeparatio ad sequentem librum, in quo Cotta haec eadem disputaturus est. *PRINCIPEM ciuem*, & *pontificem* § quem in primis decet religionem, ueluti reip. solidissimum fundamentum, a maioribus acceptam tueri. *FACULTATEM* § uim. *AMPLIFICAVIT* § adauxit, & magnificauit. *Huc* § ad hanc partem, nimirum ad religionem tuendam. *MALA enim*, § Odiosa est sapientia, conuiciari deo, siue ioco id fiat, siue serio. Sed de eo bene sentiendum pie, & constanter.



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE. NATVRA. DEORVM
AD. M. IVNIVM. BRVTVM
LIBRV M. III.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quae Balbus Stoicus praecedenti libro asseueravit de dijs, eorumq. providentia in mundo, & singulis partibus, eadem per singula capita repetens Cotta Academicus, rationibus contrarijs infirmat: & de omnibus probabiliter differens, Lectori integram iudicandi potestatem relinquit, simulq. credendi, nihil esse tam firmum, quin possit probabiliter impugnari.

CICERO



VAE cum Balbus dixisset, tum arridens Cotta, Sero, inquit, mihi, Balbe, praecipis, quid defendam. ego enim, te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causa, quam ea, quae minus intelligebam, requirendi. cum autem suo cuique iudicio sit utendum, difficile factu est, me id sentire, quod tu uelis. Hic Vel leius, Nescis, inquit, quanta cum expectatione, Cotta, sim te auditorus. iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. praeebo igitur me tibi uicissim attentum contra Stoicos auditorem. Spero enim te, ut soles, bene paratum uenire. Tum Cotta, Si mehercule, inquit, Vellei. neque enim mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Qui tandem, inquit ille? Quia mihi uidetur Epicurus noster de dijs immortalibus non magnopere pugnare. tatummodo negare deos esse non audeo, ne quid inuidiae subeat, aut criminis. cum uero deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum nullum habere: ludere uidetur, satisque putare, si dixerit, esse quandam beatam naturam, & aeter-

nam. A Balbo autem, animaduertisti, credo, quam multa dicta sint, quamque, etiam si minus uera, tamen apta inter se, & cohaerentia, itaque cogito, ut dixi, non tam refellere eius orationem, quam ea, quae minus intellexi, requirere. quare, Balbe, tibi permitto, respondere ne mihi malis de singulis rebus quaerenti ex te ea, quae parum accepi, an uniuersam audire orationem meam. Tum Balbus, Ego uero, si quid explanari tibi uoles, respondere malo; sin me interrogare, non tam intelligendi causa, quam refellendi; utrum uoles, faciam; uel ad singula, quae requires, statim respondebo; uel, cum peroraris, ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit, quamobrem sic agamus, ut nos ipsa ducit oratio. sed ante quam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminissem, me & Cottam esse, & pontificem, quod eo, credo, ualebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dijs immortalibus, sacra, caerimonias, religionesque defenderem, ego uero eas defendam, semperque defendi: nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti mouebit. sed, cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaenolam, pontifices maximos,